

ostendit  
sententia sua

**C**oncedite nobis domine quia accepimus  
quod ostendit

ostendit  
sententia sua  
ostendit  
sententia sua

ostendit  
sententia sua  
ostendit  
sententia sua

ostendit  
sententia sua  
ostendit  
sententia sua

ostendit  
sententia sua  
ostendit  
sententia sua

**De Danielem**

Dixit daniel. Aspicietis eam ego in  
visione noctis. et ecce cum nubibus



ais. et decumctis

ceientia ueuueria unkonu

D. d. 2<sup>a</sup>

X. N. 355.





300  
7  
Leyen  
Herma



ais. et decumens

celestina ueniret ia uncanuu .r.





*Sunt Hermannus Verger, professoris  
Apostolici ac Vic. Decani in summo cath.*

PRIMÆ ET SECUN

*Anno* DÆ PARTIS *1667.*

CHRONICI  
SAXONIÆ,

*Et vicini orbis Arctoi:*

*minore forma in*

*8<sup>uo</sup>. expressi,*

APPENDIX:

Continens ea Omnia, quæ  
recenti postremæ edi-  
tioni, in folio, ac-

*Conventy cesserunt. Halberstadt.*  
*ord.* *Præsm.*

*1710.*



L V B E C Æ

In officina Typographica Asweri  
Crögeri.

Anno M. D. XCIII.





his. et documentis

celestia uel uel ia unum u. r.



79 A 6624

*an*

257





LAVRENTIVS AL-  
brecht, Bibliopola Lube-  
censis, Candido le-  
tori S.

**P**ostquam meis impen-  
sis, primam & secun-  
dam Chronici Davidis  
Chytrei partem, minore  
forma, in octavo, expri-  
mi curavi: alius quidam  
typographus, easdem partes, alicubi,  
paucis tamen in locis, auctas, vel paucis  
verbis mutatas, additis Tertia etiam &  
quarta partibus, usq; ad praesentem an.  
1593. deductas, in folio excudit. Cum  
autem alij, libros, minore forma in  
8uo, alij grandiore in folio excusos, li-  
bentius legant: & graue futurum sit  
ijs, qui duas priores Chronici partes a  
me iam emerunt, easdem, duplicato  
precio, sibi in folio comparare; leua-  
re sumptu emptores, ne nimium one-  
rentur, decreui. Ideoq; omnia, quae  
in grandiore illa recenti editione ali-



bi inferta, aucta, vel mutata sunt, paucis pagellis comprehensa, seorsim typis describi mandavi. Tertiam quoque & postremam partem Chronici, usque ad currentem annum 1593. continuati; itidem peculiari libello, exprimi meo sumptu volui: ne quid omnino in hac nostra editione desideraretur, quod grandiori illi formae Chronici in folio, Lipsiae excusi, inesset. Hoc te candide lector non ignorare volui. Bene vale, & mea industria sumptibusque feliciter fructu. Datum Lubecae, Calendis Ianuarij, Anno 1593.



IN PRÆ-





5

**N** **PRÆFATIONE AD**  
*candidum lectorem; pagina pe-*  
*nultima: ante Paragraphum (Cum*  
*igitur bono & simplici studio; ) hæc*  
*verba, brevis Apologiæ loco, recent*  
*editioni, inserta sunt.*

Belli Hildesienſis, patrum memoria in Saxonia celeberrimi, hiftoriam, Germanicè delineatam, Illuſtriſſimus & optimus princeps, VVilhelmus dux Brunſ. & Luneburgenſis, edendam ad me miſit. SVEcicas expoſitiones, de Stenonis & Regis Goſtaui præcipuè rebus, pro patria fortiter geſtis, prolixè & copioſe conſignatas, præſens Sueciæ Rex ſereniſſimus, IOHannes III. clementer mecum communicavit. cum quo malim, quàm mecum expoſtulent, ſi quid in illis aliqui fortè deſiderant. Plurima, de diœceſis Bremeniſis & reliquæ Saxoniæ rebus, Rdifs. & Illuſtriſſimus princeps Eberhardus, epifcopus Verdenſis ac Lubecenſis, miſſo Verdenſi Chronico, & alijs conſignationibus, me docere dignatus eſt. vt aliquot principes alios nunc ſilentio præmittam.

Cum autem, Regum & principum aulae, Veritatis & Iuſticiæ arces, in his terris præcipuæ ſint & haberi velint: rectiſſimè, nar-

A 3 ratio.



6  
rationes illas, ex illorum Archiuis, & com-  
mentarijs Actorum publicis, depromptas,  
velut maximè vero consentaneas, recitari  
iudicavi. præsertim, cùm alij, à quibus de  
ijsdem rebus expositiones & documenta fla-  
gitavi: nihil prioribus consignationibus  
repugnans, communicarint. Alioquin  
Herodoti fortassè, Historiæ patris, exem-  
plo, dissimiles & inter se repugnantes di-  
versorum expositiones, pariter bona fide  
annotassem, & lectori iudicium reliquis-  
sem. vt in prima statim pagina Hero-  
dotus, causas belli inter Græcos & Barba-  
ros, alias à Græcis, alias à Persis & Phœ-  
nicibus proditas, commemorans; addit:  
Ego de his non venio dicturus, quod sic  
vel aliter se habeant. sed in tota historia mihi  
propositum est, vt quæ à fide dignis audi-  
tione accipio, fideliter recenseam. Sed  
in tanta iudiciorum & voluntatum dissimi-  
litudine & varietate. ne hunc quidem, opti-  
mi scriptoris & historicorum principis mo-  
rem seruari quidam volent, qui hoc solùm  
quòd ipsi primùm mordicùs arripuerunt,  
& partibus quibus se addixerunt, placere  
intelligunt, verum haberi & scribi cupiunt.  
Ego quidem verè adfirmo, me bono & sim-  
plici studio, in nullius hominis gratiam vel  
odium, &c.

Pag.



Pag. ultima præfationis, Thomæ Mori verba,  
Etenim tam varia sunt palata mortalium &c.  
prætermiffa; & in fine additum est,

Ad Dedicationses singulorum librorum  
quod attinet, si quis ineptas esse iudicabit,  
me sane ὀμώψηφον habebit. sed tamen om-  
nes ferè quibus inscripti, aut eorum paren-  
tes, iam ante de me benemeriti fuerunt. qui-  
bus haud molestiæ quidquam captando ex-  
hibere, sed gratiam hoc qualicunq; officio  
referre volui: vel certè, animum accepti be-  
neficij memorem testari. Bene vale.

Post Præfationem, in editione recenti gran-  
diore, sequitur PRO O E M I V M (quo consi-  
lio & ad quem finem scribi Deus CHRONICA ve-  
lit) quod in nostra editione, est Proœmium libri  
primi, qui SAXONIA superior & inferior inscri-  
bitur. II. VVestphalia, III. VANDALIA.

Transpositi sunt autem in Lipsensi editio-  
ne, tres priores libri, iisdem rebus & verbis  
ferè retentis. ita vt VANDALIA, nunc  
primum locum teneat: Secundum, Saxonia supe-  
rior & inferior: Tertium, VVestphalia. cuius  
postrema pars, de Daniæ regibus, & Quarti  
initium, de Sueciæ regno, in peculiarem librum  
ordine Quartum collata sunt, cui titulus est: DA-  
NIA & SVECIA. Quintus deinde liber,

A 4 ab



8  
Ab anni 1501. rebus, initium ducens, secundum  
annorum Christi seriem continuatur.

Primæ autem septem pagine, primi nostri  
Saxonie libri, à fol. 15. usq; ad 28. in Lipsensi  
editione, cum Proœmio totius operis coherent.  
Et pauca quedam initio, magis perspicue expli-  
cata sunt, quæ adscribemus.

vulgo  
die West-  
see und  
Ostsee.

**C**omplent autem hodie Saxonum lin-  
guâ vrentes populi, vniuersum ferè  
Arctoum Germaniæ litem, Britannici &  
Balthici maris littoribus definitum, ab occa-  
su brumali in ortum æstiuū, continuo trecen-  
torum milliarium Germanicorū tractu per-  
tinentem. & ab extremis Flandriæ finibus,  
qua Picardiæ Gallicæ ad Aam fl. Greuelin-  
gam alluentē, iungitur; per Scaldis ac Rhe-  
ni ostia, nobilissimas Batavorum insulas con-  
cludentia, per Brabantiam, Geldriam, Hol-  
landiam, Frisias, Hadeliam, Holsatiam,  
Megapolin, Pomeraniam, Borussiam, &  
extremos Liuoniæ fines, Reualiam & Nar-  
uam vsque progredientes, longitudinem  
Arctoi Germaniæ littoris, ampliore etiam  
quàm dixi spacio, inhabitant.

**R H E N I** verò, qui olim ad solem ca-  
dentem Saxonie limes fuit, brachia, in quæ  
diffusus, ab septentrione in lacus, ab occi-  
dente



9

dente in amnem Mosam se spargit, medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alueum: Fleuum & Helium Plinius: hodie Isalam & VVahalim nominant. Nam supra Neomagum, in Cliuensi ditione, Rhenus in duos alucos tribuitur, ex quibus VVahalidis, Celdriae oppida, Neomagum, Tilam, Bommel, & ad VVorkum recepto Mosa, Goricum, Dordracum, Brielam allabens, in Oceanum tendit. Ab Arnhemio seu Arenaco, alueus Rheni nomen conseruans, vbi ad Vicum episcopi Ultraiectini sedem prope Bueren peruenit, rursus in duos ramos scinditur. quorum ille angusto alueo, augustum Rheni nomen retinens, tenues & segras aquas, Ultraiectum, VVordam, Alpham, Leidam versus placide prouoluit, quò antequam perueniat, tribus elicibus Marna, Zylia & Douzia, in mare Leidense & Harlemium spargitur, Quartus, propè oppidum Leidam ad Rhinoburgum lentè ultra Catwicum procedens, vbi vetus ostium, iam arenarum montibus obstrusum, non inuenit, immotus consistit.

LECCA verò alter ramus, parentem Rhenum copiâ aquarum superans, Culenburgum; Vianam, Bredenrodij olim arcem;

A s Sconho-



10  
Sconhouen, Longolij patriam prætervectus tandem supra Roterdamum Erasmi patriam, rursus occidentali Rheno alueo V Vahali & Mosæ coniungitur.

Supra Arnheimum, fossam ex Rheno, in Isalam fl. ex V Vestphalia promanantem, DRVsus Nero quondam, per duo milliaria Germanica, ad Duesburgum seu Drusoburgum duxit. quæ Rheno aquas, nouo Isalæ nomine donatas, Brunchorstum, Zurphaniam, Dauentriam, & Campos præteruehens, in lacum, quem Zuidersee hodiè appellant, effunditur, & propè Flielandiam insulam, Fleuo Rheno ostio, & castello veteri cognominem, Britannico Oceano tandem miscetur. Inde Orientem versus FRIsiorum populi sunt.

Fol. 19. versu 21. Ptolemæi nominatim mentio fit.

Fol. 21. versu 22. Processerant autem paulò ante (cùm triginta Tyranni Romanum Imperium distrahebant) Saxonibus etiam.

Fol. 22. vers. 18. ante paragr. Cùm igitur Franci; inserta sunt sequentia. Ad-  
do de FRANCIS, & considerationi eruditorum subijcio, hanc quoque de origine Nominis, & populis Francorum coniecturam  
ram



ram. Germania Cæsari, Tacito, & Strabonâ  
 nota, populos, inter Rhenum, ad Oceanum  
 decurrentem, & Albim interiectos, com-  
 plexa est. vt Strabo inquit: γνωρίζονται οἱ  
 Γερμανοὶ, ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τῆς Ῥηνῆς λαβόν-  
 τες τὴν ἀρχὴν, μεχρὶ τῆς Αλβιῆς: Notum  
 est Germanos à Rheni ostio initium capere  
 vsq; ad Albim. Quorum populi, Sicambri  
 (nunc Cluij) Vsiptes (nunc Sutphanien-  
 ses) Ansuarij (nunc Dauentrij) Chama-  
 ui (vnde Chamen oppido nomen) Fri-  
 sij ad Oceanum, & his contigui Chauci  
 minores (nunc Embdani & Oldenbur-  
 genses) & maiores (nunc Bremensis dice-  
 cesis) vsque ad Cheruscas (nunc Brun-  
 swicenses) fuerunt. & horum mediterrane-  
 nei, Tubantes, Tencteri & Brueteri, nunc  
 Tuentij, Drentij, Benthemij & Monaste-  
 rienses vicini. Hos Germanos, gentem bar-  
 baram olim & contemptam, sua æta-  
 te, FRANCOS nuncupatos, PROCOPI-  
 US, AGATHIAS, IORNANDES & alij testantur.  
 Cùm igitur, sub Ianiena triginta tyran-  
 norum, & postea, externæ gentes Roma-  
 num imperium inuaderent; hi quoq; Ger-  
 mani, Salæ seu Isalæ fl. (quem orientale  
 Rheni ostium, Drusus, ducta in eum fossa  
 effecerat,) ripam orientalem longè lateq;  
 habitau-

lib. 1. bellū  
Gothici.

lib. 3. Van-  
datici.



habitantes : FRANCOS se, adoptiuo liber-  
ratis nomine, appellarunt: cuius amorem,  
Frisiorum etiam etymon spirat. Itaq; ap-  
pellationibus diuersarum gentium, quæ  
communi nomine Francos se indigerant,  
Sicambri Cayci, Attuarij, & Saliij, (à Sala  
Rheni brachio, seu Isala, cuius accolæ fue-  
runt) à Claudiano & alijs Franci celebra-  
tur.

*Fol. 28. vers. 2.* Cùm autem in noua hac,  
& respectu reliquæ Germaniæ, Transal-  
bina Saxonia, ad littoris Balthici oram,  
Dei beneficio, domicilium vitæ ac stu-  
diorum meorum, annos iam quadraginta  
duos, mediocre & tranquillum habeam:  
ordiri Chronicon, ab his Balthici littoris re-  
gionib. seu nouis Saxonum colonijs, in He-  
netorum terras deductis, quas Saxoniæ su-  
periori & inferiori in hodie vsitata decem  
Prouinciarum Germaniæ distinctione annu-  
merant, decreui. ac primo libro, Qui princi-  
pes, Quis Reipublicæ & ecclesiæ status, anno  
1500. & paulò ante, in ditionibus ac populis  
Balthici maris accolis: deinde, in Saxonia su-  
periori ac inferiori: tum in VVestphalia &  
Belgicis prouincijs, Oceano Germanico ad-  
iacentibus, & Arctoi orbis insulis, fuerit?  
summatim explicabimus. ac deinceps, ordi-  
ne

- I.
- II.
- III.
- IIII.

ais. et decembris  
celestina uenire ia uiximus.





ne per singulos annos, vsque ad præsentia  
tempora, Deo iuuante progrediemur.

*Post hæc Proœmia demum sequitur*

**CHRONICI  
LIBER PRIMVS.**

**VANDALIA,**

Regiones ad mare Balthicum,

**P**OMERANIAM, PRVSSIAM, LIVONIAM,  
MOSCOVIAM, POLONIAM, & vicinas  
aliquot gentes Henetas : postremò Mar-  
chiam Brandenburgensem & Megalepolin  
complectens.

*Hic primus liber, VANDALIA, nihil amplius  
continet, quàm Tertius nostræ editionis liber, à  
fol. 217. vsq; ad 334. nisi quod, post Proœmium  
de Vandalis; Megapolitana statim sequebantur  
fol. 224. vsq; ad 234. quæ nunc ad calcem libri  
reiecta: & POMERANIÆ Ducum (quibus  
liber inscriptus est) ditionis limites, & Genea-  
logia, præponitur.*

*Fol. 231. versu 7. exposita extet: omissa  
illorum repetitione, Epitaphium solum-  
modò, monumento illius, Doberani postea  
affixum,*



affixum, breuem historię vitę illius ἀναθε-  
Φαλαίωσιν continens adiungam. quod etsi,  
vt illo seculo rudius, ab Ulrico Vlsenio Fri-  
sio scriptum quibusdam videbitur: tamen  
optimi principis memorię, iam senescenti,  
conseruandum existimaui.

Magnopolensis eram, dux magnus, nomine Magnus,  
Cęsaribus gratus, principibus q; uiris.  
Pronus Apostolica Papę bis cernor in aula,  
Austriacus fuit Cęsar uterque meos.  
Perpetuam dedit ille rosam, sacra bractea regum,  
His mihi feudorum gratia bina fuit,  
Æthereę patriam Solymę peregrinus adiui,  
Militiam Domini sancta per arua petens.  
Gaudebunt atqui titulis, tellure nepotes,  
Proxima cara subit religionis honos.  
Auximus ijs fines, sed stemmata iunximus illis,  
Nostra reformatis stat pia turba choris.  
Rostochiumq; ferox domui tibi diue Iacobe,  
Sanguine cum proprio Canonicos statuens:  
Quod pepuli Verpos, Christi bona sacramenta  
Stellarum montis secta tremenda ferit.  
Ha pietas! dum magna paro, maiora relinquo,  
Iniecere manus maxima fata mihi.  
Nam dum seua lues toto grassatur in orbe  
Lichnica, crustosis ulcera stigmatibus:  
Nulla meos potuit uirtus superare dolores,  
Quin perij, mortem nulla medela leuat.

Eheu



Eheu magna cadunt, paruum est quodcumq; vide-  
Iamq; Ducis Magni nomina sola manent. (mus,  
Pectoribus loquor hæc doctis, indocta rogabunt,  
Sit mea cum patribus mens benè grata DEO.

Bis enim Romæ fuit Dux Magnus. pri-  
mum ex itinere Hierosolymitano in Italiam  
sub Sixto reuersus: deinde vt executionem  
mandatorum, de collegiata ecclesia Rosto-  
chij ad D. Iacobum, aduersantibus ciuibus  
erigenda, impetraret, anno 1484. quo Ro-  
sam ipsi PP. Innocentius donauit. *Bis et-*  
*iam à duobus Impp. Austriacis, Friderico*  
*III. & Maximilano I. Feuda ducatum*  
*suorum accepit: & tum alijs, tum primis*  
*Maximiliani comitijs VVormatiensibus an-*  
*no 1495. interfuit. in quibus Iudicium Ca-*  
*meræ primò constitutum, & pax publica,*  
*die 7. Iunij promulgata est. Auxit autem tel-*  
*lure nepotes, adiunctis ditioni Megapolitanæ,*  
*Ducatus Vandalicæ & Stargardiæ, quo-*  
*rum hic anno 1471. obitu Vlrici postremi*  
*Stargardiæ ducis ad Magnum; ille, anno*  
*1431. obitu VVilemi ad partem Magni*  
*Henricum redierat. Stemmata iunxit atavis,*  
*quia præmortuis omnibus agnatis ex fami-*  
*lia Ducum Vandalicæ, Stargardiæ, & Me-*  
*gapolitana, solo fratre Balthasare excepto,*  
*cuius tamen sterile coniugium erat, solus*  
procrea-



ais. et decumens

CELESTIA DEVIOTA UNIVERSITATIS

procreatis tribus filijs , familiam Ducum  
 Megapolitanorum propagavit. *Inspici etiam choros* seu collegia Canonorum & cœnobìa monachorum ac virginum iussit : cumque Rhenæ & Sarentinæ peregrinas recipi prohibuisset : Cœnobium S. Annæ Lubecæ ea occasione inchoatum est, in quo, ab honestis viduis aut virginibus, civium filia ad pietatem, modestiam, & officia œconomica educarentur. *Bellum gessit cum Rostochiensibus*, qui ipsius instituto de collegiata ecclesia, in templo D. Iacobi erigenda, pertinaciter aduersabantur. Id inchoatum est æstate anni 1487. cum initio mensis Ianuarij, principe ipso urbem ingresso, & collegium inchoante, biduo post die Dominica plebs furens ex templo canonicos proturbasset, & præpositum novum Thomam Rhodium principis Cancellarium, ante domum mediæ Lunæ trucidassent, & Decanum senem, qui itidem principum Cancellarius fuerat, in turrim coniecissent. Quinquennio post, facto in Iohannem Daniæ regem & Marchionem compromisso, res composita est, anno 1491. *Verpos Iudeos* viginti quinque Sternbergæ, in ea area, vbi Augustinianum cœnobium postea exstructum fuit, habitantes, comburi iussit, quod hostiam sacramenti, à

1492.



17  
ti à sacrificulo emptam, frameis pupugif-  
sent, ex qua sanguis emanasse scribitur.  
Quare magno hominum concursu Peregri-  
natio religionis ergò ad hostiam illam Stern-  
bergæ deinceps suscepta est.

Fol. 48. vers. 22. VLRICVS, Hæres  
Norwegiæ, Dux Slesvici & Holsatiæ &c.  
Friderici II. Daniæ regis filius, antecessoris  
sui, Ulrici Megapolitani, ex filia nepos, co-  
adiutor electus 1590.

Fol. 251. versus antepenult. comes de  
Gleichen cœpit 1254, auunculus Ottonis,  
Vvislai, Bernardi & Mauricij Comitum  
ab Ebersteno, quorum pater Theodoricus,  
cum Gerardo arch. Moguntino ex familia  
comitum de Eberstein prognato, contra  
Dominum Feudi Albertum ducem Brun-  
svicensis bellum gerens, captus, & dimis-  
so arch. necatus fuerat, 1256. Cum igitur  
filij ad auunculum Caminensem episcopum  
confugissent, episcopus Ottoni primogeni-  
to Neugardensem agrum attribuit. Cæte-  
ros Collegij canonicos fecit. Ab Ottone  
verò, Neugardenses in Pomerania comites  
deinceps propagati sunt.

Fol. 252. versu antepenult. addita est de  
vteribus Pomeraniæ urbibus, sequens narratio  
αξιολογῶς.

B

Cum



ais. et decumctis

celestia uenire ia uncomu...

Cum autem IVLINI, urbis vestustæ ac celeberrimæ, in qua, primam episcopi Pomeraniæ sedem Principes olim posuerunt, mentio à nobis iam facta sit: non ingratum studiosis antiquitatum patriæ futurum arbitror, si ea, quæ ex annalibus Pomeranicis, tum alij, tum verò senex antiqua virtute & fide ac doctrina præstans, Iohannes Lubbechius, Consul Treptouij ad Regum, de Iulino, VVinetha, & Arcona, vetustissimis & florentissimis olim Pomeranici littoris urbibus, nunc euersis ac excisis, mecum communicauit, breuiter exponam. Emporium enim in hoc littore Balthico amplissimum, & à multis externis gentibus, & diuersarum nationum, linguarum & religionum populis, Henetis, Danis, Suecis, Slauis, Russis, Iudæis & ethnicis, sola Christianorum fide excepta, pagatim, ita vt singuli suas distinctas plateas, nominibus gentium insignitas tenerent, inhabitatum, fuit IVLINVM, in insula (quam à præsentis oppido das Wollinische Werder hodie appellant, ab ortu, ponte prælongo supra Diuenoum fl. quem Viadri in mare properantis alueum esse apparet, continenti Pomeraniæ iunctam: ab occasu Sueno seu Sueuo fl. à meridie lacu recenti, admodum





dum piscoso: ad Boream Balthico mari  
cinctam, & quatuor ferè milliarium spacio  
vndiquaque patente) situm. ac vr̄bis ambi-  
tum milliare Germanicum excessisse, ex  
antiquis ruinarum vestigijs, & montibus  
seu editioribus vr̄bis locis, quibus castella  
olim aduersus hostiles insultus imposita  
fuerunt, constat, adhuc extantibus quos  
den Schloßberg / Moderow / Kafernel / &  
Silberberg hodie appellant. Vbi verò nunc  
templum D. Michaëlis cum cœmiterio ex-  
tra oppidum cernitur; eum florentis olim  
antiqui Iulini vmbilicum fuisse perhibent.

Frequentiam populi & inde estimare li-  
cet, quod viginti duo millia ciuium, Iulini,  
ab Ottone Bambergensi baptizata esse scri-  
buntur. Pristinam verò potentiam, diu-  
turna bella, & victoriæ aduersus SVEnonem  
Danorum regem, tandem ab eis captum, de-  
monstrant. Verùm nihil in rebus humanis  
perpetuum aut firmum esse, vt cæterarum  
vr̄bium olim florentiss. Troiæ, Hieroso-  
lymæ, Tyri, Carthaginis, Corinthi deletio-  
nes; sic Iulini etiam excidium, varias ido-  
lorum & libidinum confusiones, luxum, æ-  
mulationes & seditiones secutum demon-  
strant. vbi singulæ gentes, sua idola & ritus  
proprijs seruarunt: publicè autem ex pro-  
fesso, TRICLAF, Deum tricipitem,  
B 2 (cuius



(cuius adhuc in Brandeburgensi canonico-  
rum templo ad Havelum effigies cernitur)  
& minorum velut gentium diuos, armo-  
rum & mercaturæ præfides, Haruit & Ba-  
rouit, quasi Martem & Mercurium, præ-  
terea Bialbug & Zernebug, album & ni-  
grum Deum coluerunt. Idolatriam terræ  
libidinum confusiones; opulentiam, luxus,  
superbia, petulantia & intestinæ dissensio-  
nes, ac inter diuersarum nationum populos,  
perniciosæ æmulationes ac distractiones,  
comitatae sunt: quibus adductæ societates  
mercatorum inde emigrarunt. Secuta sunt  
cum Daniae rege VValdemaro I. bella, qui  
Rugiis domitis, & Daniae regno subiectis,  
IV Linum quoque, iam intestinæ seditio-  
nibus labefactatum & mole laborans sua,  
caprum solo æquauit, A. C. 1170. vt campi  
iam sint, maxima ex parte, vbi verus Iuli-  
num fuit, exiguo tamen oppido VVollin,  
veteris vrbis vestigium retinente adhuc su-  
perstite, quod D. Iohannem Bugenhagium,  
pastorem VVittenbergensem, multarum in  
Germania & Dania ecclesiarum *oivis lē*  
nascentem primū excepit.

In proxima VVollinensi, insula VSE-  
DOM, quam Sueuus & Panis fil. conclu-  
dunt, septem à Iulino versus occasum mil-  
liaribus, duobus à VVolgasto sede princi-  
pum

ais. et decumens

celestina veniunt in unum





pum Pomeraniæ ultra Panim fl. ad Dame-  
roam pagum, sita olim fuit VVIN Etha,  
quam vetustæ cantilenæ, & fama per ma-  
nus posteris tradita, & scripta in monaste-  
rijs reperta ostendunt multis ante Iulium  
annis, frequentia commerciorum, magni-  
ficentia, opibus, & potentia florentem, in-  
undationibus & tempestatibus marinis sub-  
mersam esse. Quidam circa A. C. 830.  
Haldungum Sueciæ regem eam euertisse, &  
portas vrbs æneas & alia monumenta, vnâ  
cum emporio in Gotlandiam insulam tran-  
stulisse arbitrantur. Ferunt cælo sereno, &  
mari placido, adhuc fundamenta quorun-  
dam ædificiorum, & stratas ex silicibus,  
plateas, Sundij longitudinem æquantes,  
conspici posse.

ARCONA, Rugiæ (antequam tempe-  
statibus ac inundationibus horrendis, in mi-  
nores insulas ac peninsulas scissa, & conti-  
nua illi Ruden, planè auulsa nouum Pani  
fl. ostium præbuit) metropolis, in pro-  
montorio excelso VVitouïæ, è regione  
Monæ Danicæ, collocata fuit. Veteris no-  
minis vestigium locus adhuc retinet, OR-  
K Vnde ab incolis dictus, vbi etiam arcis  
Iaromarsborg ruinæ cernuntur. Expu-  
gnata est ARCONA & deleta à VValdemaro  
I. Daniæ rege, A. C. 1168. quo Rugiam



22  
imperio Danico subiecit, & Teslaum Rugiæ principem, clientelari iuramento sibi deuinxit, & religionem ac ecclesias in Rugia Christianas instituit. Quæ Roscildensis episcopi iurisdictioni multis postea seculis subiectæ fuerunt. Idoli Rugij, quod tunc destruxit VValdemarus, effigies, adhuc in pago Altenkirchen, in aditu templi, faxo incisa ostenditur, Cacodæmonis monstro potius, quàm Dei alicuius simile, quod Suanouitum historiæ veteres, incolæ hodierni Vitoldum appellant. Sed de hac vrbe ac Idolo per Danos destructo, copiosior expositio Vandalia lib. 5. cap. 12. & Dania lib. 6. extat. Nunc mentione urbium illarum in litore Pomeranico olim celeberrimarum breuiter facta, ad vltiores Orientem versus littoris Balthici prouincias pergo.

LIBER SECVNDVS, SAXONIA SVPERIOR & INFERIOR, in Lipsensi editione, principium ducit à folio 28. nostræ editionis vers. 3. (Ex decem Germaniæ prouincijs seu circis) & usq; ad fol. 98. pertinet. nec quidquam in eo, quod recorder, additum est, quam fol. 66. versu 10. à quo ordine tricesimus nonus, post Henricum comitem Suartzeburgensem proximus, fuit Iohannes Rodius,



Rodius, humiliore quidem loco, ex honesta ciuitatis Bremensis familia ortus; sed in aula Romana, sub Alexandro VI. aliquot annos versatus, vir prudens, moderatus, & opulentus, Ecclesiae Præpositus. Cui, primam crescendi occasionem, patruus ὁμωνύμης, qui eundem in Ecclesia Bremensi dignitatis gradum tenuerat, virtus, industria & opes præbuerunt. Is, præsentis Episcopi patruus, crebro Romam profisciscens, diuertere in itinere, apud Henricum comitem Suartzburgensem, Henrici filium Guntheri electi olim R E Gis Romanorum abnepotem, numerosa prole mascula præditum, solebat, & contracta cum eo amicitia & familiaritate arctiore rogabatur subinde, vt vacantibus Ecclesijs, quibus adesset, vnius ex comitis filijs rationem haberet. Defuncto igitur GERARDO, comite Hoiense, Iohannis filio, in noui archiepiscopi electione, plerique collegæ, ipsi, vtpote Romani Pontificis aulae, & multis principibus, ob virtutem & industriam noto & caro, & magnis opibus ac diuitijs circumfluenti, suffragia dabant. Sed vir prudens, & modestus, intelligensq; πάντα μέσοισιν ἄριστα, μεσοῦ θέλει εὐ πόλει εἶναι, contentus præfenti loco mediocri, summæ dignitatis fastigium,



...is. et decumens

...celestia univcrsa univcrsa

stigium, auctoritate sua, in HENricum comitem Suartzhurgensem, Henrici hospitis & amici sui filium, illustri genere ortum, derivarat. Qui statim in molestas contentiones & curas, ob recentem GERardi comitis Oldenburgensis, de fratre Mauricio & civibus Bremensib. victoriam, coniectus est.

1247.

Cum enim Nicolaus archiepiscopus ex familia comitum Delmenhorst, (quæ arx, ad rivum Delmæ, olim ab Ottone, Mauricij comitis Aldeburgensis filio, Christiani fratre, ædificata erat) postremus, hæredem Ecclesiam Bremensem relinquens, ut ferunt, decessisset; & agnati Aldeburgenses comites, sibi ius successionis vendicassent: orto inter fratres Gerardum & Mauricium, Theodorici comitis Aldeburgici, & Delmenhorstii filios, de Delmenhorstii possessione bello; cum Mauricius à comitibus Hoiensibus & civitate Bremensi adiutus, arcem iam penè expugnasse sibi videretur: adventu VVilelmi ducis Brunswicensis senioris, Gerardo suppetias ferentis, auocatus, illi occurrit: commissoq; acri prælio et ancipiti, tandem Mauricius profligatus vix elabatur. Comites Hoienses & multi Bremenses capti, gravibus lytris se redemerunt. Aliquantò post, Ioanne Bauariæ duce, Episcopo Monasteriense, ad Magdeburgensem archiepiscopam

pa  
er  
lo  
ne  
ap  
A  
ni  
ui  
m  
co  
o  
st  
q  
re  
ai  
it  
tu  
ru  
h  
te  
ti  
fu  
re  
in  
d  
c  
m  
ta  
p





25  
pam transeunte; HENRICUS ad Monasteri-  
ensis etiam Episcopæ, potentia & opibus  
longè Bremensi antecellentis, gubernatio-  
nem, retenta nihilominus Bremensi velut  
appendice, euectus est, Gerardus autem  
Aldenburgensis comes, perpetuis excursio-  
nibus ex arce Delmenhorstana, vicinarum ci-  
uitatum mercatores, Hamburgenses in pri-  
mis ac Lubecenses, quod in Holfatia ipsi,  
contra Regem fratrem multa turbanti, non  
omnibus in rebus gratificati essent, pro ho-  
stibus habitos, vexabar & deprædabatur. de  
quo, grauissimis & assiduis ciuitatum que-  
relis ad archiep. delatis, coërcendam Ger-  
ardi petulantiam, & pacem ac securitatem  
itinerum in suis diocesisibus præstandam ra-  
tus, aliquot expeditiones coniunctis locia-  
rum etiam ciuitatum auxilijs, ad Delmen-  
horstum suscepit. Quibus etsi ad promit-  
tendam pacem & securitatem peregrinan-  
tium, aliquoties Gerardum adegit: tamen  
subinde ad ingenium & vsitatas artes illo  
redeunte, & mercatores mercibus nudatos,  
in carceres etiam conijciente: Henricus tan-  
dem, omnibus Monasteriensis quoque diæ-  
cesis viribus contractis, denuo arcem Del-  
menhorstanam aggeribus & vallis muni-  
tam, & longè lateq; paludibus cinctam,  
prohibita com meatum Importatione, magis

B 5

quàm





quàm violentis aggressionibus, oppugnat. ubi cum frater Guntherus comes Suartzburgensis, locum ipsius in exercitu tenens, tormento ictus occidisset: grauiore indignationum flammâ concipiens Henricus, per totum autumnum & hyemem continuata obsidione, tandem fame domitos milites præfidiarios, in potestatem suam cum arce redegit: Gerardo, in alias extra Germaniam terras migrante, & sex filijs residuam & laceram comitatus duriter adflicti & accisi partem relinquente.

In crebris hisce & diuturnis expeditionibus bellicis, immensi sumptus facti, & magnum æs alienum utriq; diœcesi conflatum erat. Cumq; Henricus, neglecta ferè & posthabita diœcesi Bremense, Monasteriensem præcipuè totos 25. annos incoheret: ædificia, arces, molendina & prædia Episcopi in Bremensi diœcesi, indiligenter curata, indies deteriora erant reddita. Exempto igitur rebus humanis Henrico, collegium Bremense opulento & quietis amante Episcopo opus esse iudicabat, qui & ædificia domuum archiepiscopi passim collapsa reficeret, & oppignorata alia prædia ære suo liberaret, ac ne deinceps onerarentur, frugalitate sua moderandis aulicæ œconomiae sumptibus, prouideret.

ANIS. ET DECURMETS

CELESTIA VENUSIA UNICORNU





27  
uideret. Ideo Rhodium hunc, plebeio  
quidem genere natum, sed animo non ple-  
beio, & amplis fortunis & opibus abundan-  
tem, pleriq; prouehendum duxerunt. Qui  
electus, si, ut pecuniæ ac diuitiarum, sic pru-  
dentia & modestia patris hæreditatem ad-  
iisset; illiusq; exemplum fuisset imitatus:  
multò tranquillius & beatius, curriculum  
vitæ in his terris suum transegisset.

LIBER TERTIVS, VVEST-  
PHALIA, rebus & verbis prorsus congruit  
cum secundo libro nostræ editionis à fol. 100.  
vsq; ad 189. nisi quod in Prouinciarũ Belgici enu-  
meratione, uberior HOLLANDIÆ descriptio  
accessit, inserenda fol. 169. vers. 10.

Cùm autem Hollandiæ comitum mentio  
breuiter facta sit; addam de regionis illius  
situ, & oppidis præcipuis, pauca, ex CL.  
V. Adriani Iunij, amici mei, commentario  
Hollandiæ, non iniucunda studioso lectori  
nec ingrata, ut spero, futura. Pars enim est  
Hollandia, celeberrimæ & nobilissimæ o-  
lim Batauorum Insulæ, Rheni brachijs in-  
clusæ, Cattorum coloniæ. quorum dux Ba-  
to, non procul à VVahalis Mosæq; conflu-  
ente, Batenburgum regni sedem habuit, Gerardus  
quam filius Hesus Neomagum transtulisse Nouiona-  
fertur. gus.

Tacitus  
lib. 20.



fertur. A Plinio, qui cum Druso Nerone  
ijs in locis militauit, his verbis describitur.  
*In Rheno ipso prope C. M. passuum (29. milliaria  
Germanica) in longitudinem, nobilissima Bata-  
uorum insula (inter VVahalin & Rhenum in-  
teriecta) & Caninesatum, (ad Harlemum) &  
alix, Frisiorum (ad Hornam metropolin) Fri-  
siabonum (nunc VVaterlandia) Sturiorum seu  
Tusiorum (vt in manuscripto exemplari vetu-  
sto legitur) prope Huisdumum, versus Me-  
demblicum, hodie Tufenland. Marsatorum  
(à Tufijs ad Thessaliam insulam olim con-  
tinenti iunctam, nunc diuulsam voragine  
maris, quam Marsdiep appellant) sternuntur  
inter Helium & Fleuum. Ita appellantur ostia, in  
que effusus Rhenus, ab Septentrione (Hala dictus)  
in lacus (Zuidersee) ab Occidente (VVahalis  
appellatus) in annem Mosam se spargit. medio  
inter hæc ore, modicum nomini suo custodiens alue-  
um, qui Arenacum, & Traiectum episcopi  
sedem, allabens, in mare Leidense & Harle-  
mium lentus euoluitur. de quibus Rheni  
ostiis, initio Chronici, de Saxoniae veteris  
limitibus agentes, prolixius diximus.*

Cum autem multæ Batauiæ partes, in diœ-  
cesis ultra Traiectinæ: multæ in Geldriæ  
ducatus possessionem transferint: Hollan-  
diam, hodie sic, vel à cavitare soli minimè  
solidi, sed palustris, & ad pedum pulsum  
vacil-

his. et decumetis

celestia uenientia unquam





vacillantibus, nixuiq; facile cedentibus; vel à fœ-  
nificiis vberibus; vel à nouis Nortmanno-  
rum colonis, dictam, qui inter cæteras orbis  
Arctoi insulas, Olandiam Gothiæ meridio-  
nali in mari Balthico obiectam, & Selandi-  
am Daniæ regni hoc tempore sedem, inco-  
luerunt, & vetera patrię nomina, Hollandiæ,  
& Selandicis Insulis, quas Rhenus & Scaldis  
interluit, tribuerunt, quod circa A.C. 840. ac-  
cidisse, & paulò post, THEodoricum Comi-  
tem, à Carolo Caluo Hollandię præpositum,  
vt Normannos eijceret, Iunius ratiocinatur.

863.

Partes verò Hollandiæ, hodie sic dictæ,  
sunt; *Meridionalis* (Mosæ & Rheno medio in-  
teriecta, cuius caput Dordrechtum) *Kinnema-  
ria* seu Caninefatum veterum Regio, à Lei-  
da Alcmariam vsq; (cuius caput Harle-  
mum) *Vestfrisia*, cuius caput Horna & En-  
chusa: *Waterlandia* & *Goyelandia*, cuius  
Nerdamum, Vesopus, & Muida ad Vech-  
tam fl. vicina oppida sunt.

Pascuis iumentorum, butyri & caseorum  
bonitate; Halecum captura copiosa; Oceani  
portibus commodissimis, excellit. quorum  
beneficio merces vndecunq; terrarum im-  
portatas excipit; ex Borussia frumentum &  
sectilia de robore ligna; ex Liuonia ceram;  
ex Callia vinum & salem; ex Hispania, ole-  
um, saccarum, aromata; ex Norwegia, ma-  
los



los nauium, aliamq; materiam nauialem; ex  
Islandia & Bergis Norvvegiæ, piscem vento  
induratum. Lignorum inopiam cespite fos-  
sili & in sole arefacto leuat. Telarum linea-  
rum subtilitate & candore omnibus genti-  
bus præstat.

Oppida muris cincta 28. habet, verum sex  
primaria, quorum arbitrio comes olim bel-  
li pacisq; consilia tractabat. DOR drech-  
tum, ad Mosam emporium, nunc vrbi Ve-  
neræ situ simile, postquam anno 1421. tem-  
pestate disiectis aggeribus, & circiter 72.  
pagis submersis, à continente diuulsum  
est. H A Rlemum, situs amœnitate, tela-  
rum linearum candore & tenuitate, Tem-  
plo magnifico, artis Typographicæ, vr a-  
iunt, inuentione, & alijs insignibus Dei do-  
nis nobile. Delphi, cereuisiæ bonitate  
magis quàm Apollinis oraculo prædicati.  
Leyda seu Lugdunum Batauorum ad me-  
dium Rheni ostium, (quod arenarum cu-  
mulis tempestate postea obturatum est) Ro-  
manis temporibus situm, nunc Academiæ  
nobilis sedes. A M Estelodamum vrbs ad  
Amstelam fl. & intimum Hollandiæ sinum  
sita, Belgicę horreum, & toto orbe occiduo  
emporium celebre, anno 1482. primùm mu-  
ro cinctum. GOVda, ad Iselam fl. A.C. 1262.  
condita, frequentibus plantarijs & commer-  
cijs



cijs felix, in cuius arce diplomata priuilegio-  
rum Hollandiæ proceres custodiunt.

Minorum gentium oppida sunt: EN-  
CHVSA in extremo margine Hollandiæ  
Frisiam versus, maris furori obiecta, portu  
capacissimo, & nautarum peritia & factitij  
salis officinis clara. HORNA, circa A. C.  
1300. ædificari cœpta, CL: V. Adriani Iu-  
nij & Iacobi Ceratini patria. ALCmaria  
q. d. All Meer, vndiq; lacubus seu maribus  
cincta, ædificijs elegantibus & auibus, pisci-  
bus ac pecore copiosa: Petri Naniij patria.  
EY Dam duobus ab Horna milliaribus,  
caseorum bonitate & naualium magnificen-  
tia & naupegorum industria celebre. VVe-  
sop, duobus supra Amstelodam milliari-  
bus, ad Vechtram fl. ex Rheno deriuatum,  
raræ texturæ pannificio celebre. MVDA,  
ad ostium Vechtæ piscatoribus habitata.  
NÆ Rdam textorum & fullonum officinis  
stipatum. GORIComium, ad Lingæ  
& Mosæ confl. circa A. C. 1230. per Do-  
minos ab Erkel muro cinctum, & arce ele-  
ganti ornatum. LEERdam, ad Lin-  
gam fl. comiti Burano paret. ASP Era,  
vicinum Leerdamo. AQUæ veteres,  
Oudewater, restionum, cui funiculos  
texendis halecum retibus nectunt, officina.

ROTE-



**R O T E R O** damum, ad Roteræ & Mosæ  
confl. oppidum copiosum, portu tuo, &  
panificio, & halecum & salmonum ca-  
ptura, & imprimis ortu Erasmi Roteroda-  
mi nobilitatum. **S C I Æ D** Amum ad  
Sciam fl. **B R I E L A**, ad ostium Mo-  
sæ in oceanum se cum Rheno effunden-  
tis, in Vorna insula, prouentu tritici, & pi-  
scatu ex mari potiss. victitans. **V I A** na ad  
Leccam fl. familiæ olim Bredenrodiaë, nunc  
Regis fisco addictum. **S C O** Nhouen, ad  
Leccam fl. ab hortorum amoenitate nomen  
habet, patria Christophori Longolij. **I s e l-**  
**s t e i n**, ad Iselam, sub comitis Burani ditio-  
ne. **V V O** Erden, infra Traiectum Rheno ad-  
iacet. quod Erico duci Brunsvicensi olim  
oppignoratam est. **V V O R** comium, ad  
**V V a h a l i m**: &, non procul inde, **H u e s d e-**  
**n u m**: & **G r e t r u d i s** mons, in Brabantica ri-  
pa, **V r a n i æ** principis industria munitissimus:  
& tamen militum præfidiariorum perfidia  
nuper **P a r m e n s i** traditus. **H A G A** comi-  
tis, pagus, splendore, opibus, ac frequen-  
tia ædificiorum, nulli urbium cedens: sedes  
principum & iudicij Hollandiæ supremi, &  
**Q u æ s t u r æ** generalis, à **V V i l e l m o** Cæsare  
facta, circa A. C. 1250. **G R E** uesand, non  
procul ab ostio Mosæ, olim Principum &  
Parlamenti sedes, nunc Turri edita, quæ  
Phari

ois. et decumets

celestia uenit la uironum



Phari loco est nauigantibus: & casei bonitate, & agro tritici generosi ferace nobilis. VLÆRding, ad Mosam è regione Brielæ. MEDENblicum, in Hollandia boreali, duobus ab Horna miliaribus, nunc munitissimum: portum & nauale clarum habet. PVRmerenda, Purnero lacui cum Edamo adiacet. BEVerwick inter Harlemum & Alemariam, ad intimum sinus Tij angulum, dimidio ab Oceano milliari distat.

QVARTVS Lipsensis editionis Chronici liber, DANIA & SVECIA: totus, ijsdem ferè verbis, ex nostri Chronici libro secundo seu VVestphaliæ fine, à fol. 190. vsq; ad 215. & libri quarti initio, à fol. 338. vsq; ad 354. coagmentatus est.

Prima Lipsensis Quarti libri verba sunt. Vicinus extremo ad boream Germaniæ littori ORBIS ARCTOVS, quem Scandiam & Scandinauiam veteres; officinam gentium, & vaginam populorum, incompertæ magnitudinis, Plinius appellat: in tria regna, DANIAE, SVECIAE, & NORwegiæ amplissima, multis iam seculis distinctus est, et in terra continenti, à gradu long. 25. occiduam Norvvegiæ oram. &c.

Cum hoc exordio prorsus coherent, ac ijsdem ferè verbis commemorantur in nostro Chronico omnia à fol. 190. vsq; ad 215. nisi quod versu quin-



34  
to à fine, folio 190. hæc clausula per Parenthesin  
inserta est: quam, mare Glaciale, falso di-  
ctum (nunquam enim toto anno, nisi ad  
littora, vbi aquæ dulces influunt, glacie  
obduci ex nautis intelligo) totam Norvve-  
giam, & Sueciam ambiens.

Fol. 197. vers. 3. In Scaniae verò, vnde di-  
gressus sum, parte occidentali, supra Helsing.

Vers. 10. prouincijs, postea breuiter di-  
cturus. Fol. 202. versu antepenult. addita sunt.

De monte H E C L A, & alijs, qui Ætnæ  
instar, ignem interdum euomerent, sæpè &  
diligenter sciscitatus sum. Sed in neminem  
hactenus incidi, qui non audita solùm, sed  
visa se exponere adfirmaret. Adscribam  
igitur, quod Georgius Agricola, ex homi-  
nibus dignis, quibus fides habeatur, se ac-  
cepisse testatur. In Islandia insula, inquit,  
tres sunt montes elati in cœlum: quorum  
vertices, perpetua niue candent, radices sem-  
piterno æstuant igne. primus, qui occiden-  
tem versus est, vocatur Hecla: alter Crucis:  
tertius Helga, sanctus. ab Hecla non lon-  
gè absunt fodinæ sulfuris, penè vni-  
cum incolarum mercimonium, & vecti-  
gal insulæ. mercatores enim, naues eò onu-  
stas euehunt. mons ipse cum furit, vt horri-  
bilia tonitrua insonat: proiicit ingentia sa-  
xa: sulfur euomit, cineribus egestis terram  
longè



tam longè circum circa, operit, vt ad vigesimum lapidem coli non possit. qui naturam tanti incendij contemplari cupiunt, & ob id ad montem propiùs accedunt, eos vna aliqua vorago viuos absorbet. nam & multæ sunt, & cineribus ita tectæ, vt ab ipsis sibi satis cauere nemo possit. atq; etiã propè exit ignis, qui consumit aquam, stupam non comburit. Hæc Agricola.

Fol. 204. vers. 7. circiter trecentorum.

Fol. 214. vers. 13. Cùm autem in aditu:

Vers. 16. Hæc narratio addita. Inde progressurum in penitiores prouincæ oras, præfectus legionis Belgicæ dehortatur, quod Diui illius festo aggredi hostem, infaustum iudicarent, & quod cælum crassius niue aut pluua grauidum videretur. Vrgente autem rege, cui proditores quidam Ditmarsii viam deuiam, quã non expectaretur à Ditmarsis, monstraerant, per angustias illas, fossis vtrinq; cinctas, progrediuntur primùm milites legionarij; Inde cæteri pedites; postea equites Holsati & Dani, splendidissimè ornati. Hos, currus plurimi, vestes ac com meatum gestantes, & prædam auerturi sequebantur. Postremum agmen, rex Iohannes, cum fratre Friderico, & aulica cohorte, clauderant. Cùm autem pridie, Ditmarsii, capto exploratore didicissent, Regem alia via

Valentini  
41. Feb.

C 2

quàm,



quàm expectaretur venturum esse : noctu aggerem illi opponi, & machinas aliquot in eo collocari, curant. quibus postridiè, ex angustijs illis viæ inusitatae progredientes regios, niuibus ac pluuijs mixtim coelo ruentibus, & vento regijs aduerso, excipiunt. alij, perruptis aquarum claustris, campum, qua accedebant hostes, totum inundant, nec reditus à tergo, ob curuum impedimenta, patebat.

*Fol. 215. vers. 8.* Et cæterorum Holsatiæ ducum, Friderici I. Daniæ regis & Ioannis senioris expeditionem.

*Altera pars Quarti libri Lipsicæ editionis, de SVECIÆ Regno; tota in nostro Chronico, fol. 328. & sequentibus vsq; ad 354. extat.*

*Fol. 339. vers. 14.* Insula Oelandia, Sma-landiæ, long. 18. milliarium obiecta, & in totidem *municipias* distincta, & arce Borg-holm munita: partim Noricæ seu SVECCICÆ sunt; Oplandia, cuius Vpsalia & Stockhol-mia metropoles. ac STOCHOLMIA per VValdemarum regem, circa A. C. 1250. in insula sinus Meleri condita, hoc tempore, sedes & arx totius regni præcipua, & emporium frequens ac celeberrimum est, ad communicationem mercium, per lacum Melerum, longè lateq; , velut brachijs se in mediterranea spargentem, & multos ex di-  
uersis



uersis regni prouincijs fluuios recipientem, maximè commodum: per quos, in procul disita loca, merces ex Germania & alijs gentibus aduectæ, facile nauibus distribui, ac vicissim Suecicę merces retro deferri queunt. Aditus ex mari Eoo per angustas fauces profundissimo alueo patet. & tribus ab vrbe milliaribus ad ortum, Turris firmissima VVaxholmia, & è regione tigna in fundum fistucis adacta & sublicis firmata, sic ingressum arctant, vt inuitis regijs præfectis, in ea excubantibus, nullæ ingredi naues possint.

QVINTVS liber, ijsdem verbis in nostro Quarto, continetur fol. 337. 338. vsq; ad vers. 6. & fo. 354. 355. vsq; ad 412. in quibus omnibus nihil mutatum animaduerto.

Fol. 473. vers. 7 8. adde. Est autem Cimbricę Chersonesi regio, ad Slesvvigam & Flensburgum, inter sinus Sliam & Flenum & mare Balthicum interiecta, quam Anglen seu Angliam, & se Angelbuer, h. Anglię incolas, à multis seculis habitatores appellant: ex qua, inuitati olim à Britannis aduersus Pictos & Scotos Angli, vnà cum Saxonibus & Iutis vicinis, in Britanniam traiecerunt, & subiugatis incolis, toti insulæ & florentissimo nunc ANGLIÆ regno, nomen dederunt. Diserte enim Beda, An-

C 3

glicus

Lib. 1. cap. 15.

tu  
uot  
ex  
tes  
ru-  
nt.  
m,  
hec  
ta,  
iæ  
n-  
de  
ol.  
a-  
in  
g-  
ce  
ol-  
A  
C.  
oc  
a,  
st,  
m  
in  
i-  
is





glicus scriptor temporibus illis vicinus, refert, colonos illos, qui Britanniam ingressi, insulæ occupatæ nomen dedere, Anglos, Saxones & Iutas (quam vocem, transpositis duabus primis literis, librarij imperiti Vitas scripserunt) & quidem Anglos inter Saxones & Iutas interpositos fuisse. Et Fabius VVilhelmo quæstor Erelvvardus, Anglus, circa A. C. Camdeno. 950. scribit Angliam veterem, inter Saxones & Giotos (Iutos) sitam, habere oppidum capitale, quod sermone Saxonico, Slesvvic, secundum verò Danos Hathby nominetur. Habitarunt autem Saxones, antiquis illis temporibus, inter Albim & Eydorum; qui nunc Holfati seu veteres Saxones sunt, & vicini Mercij seu Marfi, Vilzi, Crempij, Teuromarfi, à quibus peculiare Merciaë regnum in Britannia occasum versus extitit. Ad boream, nunc quoq; Anglos, Vitæ seu Iutæ cingunt.

*Fol. 485. vers. 5.* Absoluta verò iam ANGLIÆ Regum ferie, & ad præsentem ætatem deducta, chorographiam quoque seu enumerationem prouinciarum totius Angliæ breuem, Coronidis loco adiungam. ANGLIÆ Regnum, figura ferè triquetra, Germaniæ & Galliæ obiectum, in trigintaduas prouincias seu comitatus, ab Alfredo Rege, circa A. C. 980. diuisum fuit. quibus postea aliquot  
alias



39  
alias, & in his tredecim in VVallia, Henricus VII. adiunxit. In basi trianguli, seu meridionali latere, quæ Galliam spectat, prima & clarissima ortum versus, CANTium, metropoli Cantuaria, & Roffa ad Medveagum fl. in Tamesis æstuarium infra Londinum illabentem: & Rhutupino olim littore ac portu, è regione Caleti, & Douera portu & arce nobilitatum. SVDsexia, ferri fodinis, Ciceſtria episcopi ſede, & arce comitis Arondeliæ, inſignis. & ſupra hanc ad ſeptentrionem SVRria ad Tameſin fl. è regione Londini pertinens. Hantonia, episcopo Vintoniæ, quam urbem VVinceſter, veteres Ventam Belgarum appellant, ornata. & ſupra hanc ad ſept. ad ſuperiorem Tameſis ripam, Bercheria & VViltonia, monaſterio Mamelsburi & episcopa Sarisburienſi olim celebris.

SOMERSertia, ad Sabrinae fl. ostium & æstuarium, prouincia, fertilitate ſoli, portibus maritimis, fodinis plumbi, thermis, frequentia incolarum, opidis, cœnobio Glasconia, & in eo, Arturi Regis ſepulchro, episcopa Bathoniensi, & VVellenſi, Bristolia emporio, & alijs inſignibus ornamentis hoc tempore florens, & Saxonum occidentali-um olim ſedes præcipua, cui ad meridiem Dorſettia, longo tractu ad mare

C + prætenditur



A. C.  
872.

tur. in cuius coenobio VVinburne seu Vin-  
dogladi corpus ETELredi VVestfaxonum  
Regis martyris conditum est. DEVONIA,  
portu Plimutensi ac Derrnutensi, Exonia  
(Excester Anglicé) episcopi sede, & Cirto-  
ne patria S. Bonifacij, Germanorum Euan-  
gelistæ; venis stanni vberibus, & alijs Dei  
donis decorata. COR Nubia seu Corn-  
vwallia, versus occasum extrema, crebris in  
littore opidis, & in mediterranea regione,  
vberimis stanni & aliorum metallorum fo-  
dinis, quæ circa annum Christi 1270. liberius  
coli cœperunt. Vltimum illius promontori-  
um, quod Bolerium Ptolemæo dicitur, 17.  
tantum graduum longitudinē habet, quibus  
adhuc aliquot gradibus occidentaliores  
sunt insulæ CASSITERIDES Græcis, Silly  
Anglis, SORGLing nautis vulgò appel-  
latae.

Lateris Angliæ Orientalis Prouincię sunt.  
Primum ad Arctoam Tamesis ripam, è re-  
gione Cantij, ESSEXIA seu Orientalium Sa-  
xonum regnum, olim Camaloduno, Britan-  
norum regia, & postea Romanorum colo-  
nia, à Claudio Imp. deducta, & Colcestria,  
quam S. Helenæ matris Constantini patriam  
ciues ferunt; & croci fœcunditate, insignis.  
Huic versus occasum ad Tamesin contigua  
est MIDDLESEXIA, LONDINO

TOTIUS



totius Angliæ compendio, ac sede & came-  
ra Regia, emporioq; celeberrimo, cæteris  
omnibus, quantum lenta solent inter vibur-  
na cupressi, antecellens. Essexiam versus  
ortum in littore sequitur SVLFFolcia, au-  
stralis populus, Edmundi burgo, & veteris  
Clarentiæ ducatus sede, & caseis præcipuè  
nobilitata. **NORDFOLCIA**, Norvvico  
vrbe celeberrima, ad Garienem fl. VValsin-  
gamo D. Virginis templo, & croci prouentu  
clara. **CANTabrigensis**, Academiæ, qua-  
tuordecim collegijs illustri, à Sigeberto Ori-  
entalium Anglorum rege, A. C. 630. pri-  
mum fundatæ, & EPiscopo Eliensi, sedem  
præbet. Huic ad occasum HVNtigdonia  
& Northanthonia, castro Fotheringamo, in  
quo, de Maria Scotiæ regina supplicium  
sumtum est, ornata adiacet.

Ad septentrionem in littore, **LINColnia**  
regio amplissima, vsque ad Humbrum por-  
rigitur, cuius episcopus diœcesin omnium  
totius Angliæ maximam habet. Trans  
Humbrum **EBORAcensis** prouincia sequi-  
tur, cuius metropolin ab Vro fl. alluente,  
**YORKE** Angli, & prouinciam totam  
**YORKShire**, latinè Eburacū seu Eboracum  
appellant, quæ Romanorum colonia, Seue-  
ri Imp. & Constantij Chlorigitū obitu, & Con-  
stantini magni ortu, & postea archiepiscopi

C s

sede

1577.



fede clarissima fuit. Huic occasum æstiuum  
versus, Richemondia contigua est. Versus  
boream DV Nelmenfis episcopa, D. Cut-  
berto sacra. & NORthumbria, inter Tinam  
& Tuedam fl. trans vallum Seueri, ad fines  
Scotiae, et vltimum Angliae & munitissi-  
mum totius Britanniae opidum Bervvicium  
porrigitur.

In occiduo Angliae littore, proxima Sco-  
tiaë CV Mbria est. Inde V Vestmania LAN-  
castria Cestria ad Deae fl. æstuarium. Salo-  
pia. Herefordia, vsque ad fretum Sabrinia-  
num sequuntur. Tribus verò his postero-  
bus occasum versus, V VALLIAE seu Cim-  
briae peninsulae regiones in occasum longè  
porrectae, continentes sunt. quas Henricus  
VIII. primum in prouincias distinxit.  
NORD V Valliae seu Venedotiae, Flintiam:  
DENbingiam; Aruoniam, à Mona insula,  
Druidû sede antiqua, freto angusto direm-  
ptam: Meruiniam montibus asperam: Mont-  
gomeriam Sabrinæ incumbentem. SVD-  
V Valliae, quæ ab ortu & septentrinone  
Sabrina fl. ferè clauditur, Radnoriam, Bre-  
chiniam, Monumetensem seu Guentam inter  
Vagam & V Vysam fl. Morganum ad fretum  
Sabrinianum. V VESTvalliae, Maridunum,  
Merlini vatis patriam: Cereticam: & PEN-  
Brochiam, portu totius Europæ tutissimo,  
berniae



& S. Davidis opido, episcopi sede, in quo S. Patritius, Hyberniæ Apostolus, ex Concha S. Martini sorore, & Calphurnio presbytero natus est, nobilitatam.

MEDITerraneæ verò Angliæ comitatus, quos olim Merciorum regnum magna ex parte complexum est, hi ferè præcipui sunt. Ad Eoam Sabrinæ ripam, paulùm supra illius æstuarium, G L Ocestria, episcopi sede, & monasterio Hales, cuius alumnus Alexander de Hales, scholasticæ Theologiæ coryphæus fuit, & altero Tamesis fl. fonte, & Corinei, vrbis olim celebris, nunc C I R C Estriæ vestigijs, ornata. Huic ad ortum contiguus est O X O Niensis: sedes Academia nobilissimæ, Regis Alfredi benignitate fundatæ, nunc 16. Collegijs & octo aulis magnificè exstructis & dotatis eximie florentis.

G L Ocestriam, in Sabrinæ ripa, ad boream, V V I G O R m i a sequitur, salinis frequentibus, nobili lanificio, & episcopi sede clara. Inde S A L O P i a, cuius metropolis Sreusbury, Sabrinæ incumbens, Emporium est V Vallorum & Anglorum commercijs opulentum. Salopiæ versus boream Cestria, ad Deæ æstuarium adiacet, episcopi sede & salinis ornata. Inde versus ortum, Mediterraneæ prouincię S T a f f o r d i a, nunc equorum nondinis & Lichfeldia episcopa insignis.

V V A R



VVARVVICIA. DERBIA, venarum plumbi & stibij, & optimæ cereuisiæ ferax. Notinghamia, quam Trenta fl, perluit, oppidum Mansfeild habet, vnde veteres Mansfeldiæ comites, inde ab Arturi regis Britanni rotunda mensa, quidam deducunt. LEICESTRIA, Ruthlandia, Hutingdonia, Bedfordia, Buchingamia, & Hertfordia ad Mediosaxones & Londinensem agrum, meridiem versus finita, multarum veterum urbium, in Antonini hodæporico celebratarum, vestigia ostendit, inter quas, Verolanium, patria S. Albani, primi Anglorum martyris, eminuit. Hanc Angliæ prouinciarum omnium tabellam, præfenti loco intexui, quæ, vt historiis Anglicis lucem adfert, ita vicissim, inspectis Angliæ typis chorographicis, plus lucis habitura est.

*Fol. 535. vers. 13. addita est ab autore, in amici cuiusdam gratiam, Nobilis familiæ Misnicæ E. N. D Iorum Genealogia, his verbis.*

Militauit autem duci Georgio, in hac expeditione Frisiaca, & Dami expugnatione, singularis cum fortitudinis, prudentiæ, virtutis & fidei laude, VVolffgangus ab Ende, eques Misniacus. Cuius frater, Nicolaus ab Ende, Caroli V. Consiliarius, Liberorum Baronum dignitatem, quam familia illa olim habuerat, sibi ac omnibus agnatis, eorumq;

1530.  
31. Oct.

MS. ET DECUMENTIS  
CELESTIA VENIETIA UNIFORMIT.

ru  
m  
str  
gi  
be  
V  
  
E  
E  
fri  
du



rumq; liberis, à Carolo recuperavit. Cumq; multi ex ea gente, vtiliter Reipublicæ, nostra etiam ætate seruiant, partem Genealogiæ adscribo.

HENRICVS ab Ende, Dominus in Rosberg, Kæn, VVölkenburg, Königsfelt, VVildeborn. vxor, Ingenua à Kaufungen.

Conradus

---

Vlricus.	Henricus.
Friderico III.	Viennæ à subditis
oblesso,	fidelem & fortem ope-
ram nauarunt,	

---

Erenfridus do-	Henricus	GODFRIDUS, ex
minus in VVil-	Marschal-	Anna Sleinicia,
denborn.	lus in aula	Ioannis episc.
	Saxonica,	Misnensis parue
	cælebs.	le, multos filios
Erenfridus.		procreauit, ☉ 1521.

---

Eren-	Corfridus	Alexander
fri-	modernus	in aula E-
du-	dominus in	lectorali.
	VVildenborn.	

---

EO Baldus, Erenfrid.	Con-	NIColaus	VVOFL-
ex Margari-	quatuor	Caroli V.	GANGus,
de à Salhau	filios.	Coniliar.	qui Geor-
sen, cuius		Quirinus.	gio duci
patruus fuit Ioan-			Saxoniae
nes episc. Misn.			in Frisia

♂

♀

♂



♂	♀	♂
Henricus, VLRicus, GODfri-	Haubold-	militauit.
cuius, ex ex Bern- DVS, ex		& ex tribus
filio Hen- ardi Zigle Anna Ka-		filijs poste-
rico, 4. ne- ri fratris rafsina.		ros reliquit.
potes su- Hieronimi filia,		
persunt. sex filios GEorgius VLRicus, Assessor		
reliquit, Camerę Imperialis, ab anno 1581.		
moriens 1576. vxor Anna Rosina à Botzheim.		

Gotfridus Bernardus. Gerorgius Henric. Erenfrid.

*Fol. 580. vers. 12. de NOVO ORBE nar-  
ratio, digna eruditorum cognitione, inserta est.*

1517. Cùm autem hoc anno, CAROLVS, Bel-  
gici princeps, tot prouinciarum, Saxonica  
lingua vtentium, Dominus, in Hispaniam  
primùm appellens, regnorum Hispaniæ ac  
NOVI ORBIS imperium adierit: etsi pro-  
cul à Saxonia regiones illæ dissitæ sunt: ta-  
men cùm res maximæ ac dignissimæ poste-  
ritatis memoria in eis gestæ, & vnius princi-  
pis Caroli imperio postea hæ gentes omnes  
cum Saxonia gubernatæ sint: propter re-  
rum magnitudinem, breuissimè summa se-  
quens fastigia attingam. Primus Nouum  
orbem in occidente, omnibus antea igno-  
tum & inaccessum, & duplo vel triplo tota  
Europa maiorem, peruestigare & aperire,  
ante viginti quinque annos, Ferdinandi Hi-  
spaniæ regis auspicijs, Christophorus Co-  
lumbæ



Iulius Genuensis, admirando ad omnem  
posteritatem ausu & industria coeperat; su-  
scepta in Hispaniolam, noui orbis insulam  
370. gradui. longitudinis: 20. latitudinis sub-  
iectam, nauigatione. Qua singulis annis  
reperita, paulatim plures terræ repertæ, &  
tandem AMERICÆ continentis litus, ab  
Americo Vesputio inuentum est. cùm Lusi-  
tani antea, meridiem & orientem versus,  
Africæ oram legentes, loca quædam occu-  
passent. Limitem nauigationum, inter vi-  
cinos reges, Ferdinandum Castiliæ, & Io-  
hannem Lusitaniæ reges, Alexander V I.  
Pontifex constituit Meridianum, centum  
milliaribus ab insulis Azores seu Falconum  
(ex quibus vna est Terzera) & Hesperidum  
seu capitis viridis, occasum versus, distan-  
tem. Vnde quidquid in occidentem nauigan-  
tibus Hispanis incognitæ terræ vsq; ad grad.  
long. 180. aperiretur, id omne Castellæ Re-  
gis esset. quidquid autem in orientem, ad to-  
ridem gradus, Lusitanis cederet. Postea  
vt Brasiliam rex Lusitaniæ, à Petro Ca-  
prali præfecto suo, tempestatibus eo eie-  
cto, occupatam retineret, noua transactio-  
ne, ad tercentum miliaria, hunc limitem, à  
primo meridiano promouit, vt 36. gradus  
à Lysibona (quæ vndecim gradus à pri-  
mo meridiano distat) abesset. Ema-  
nuel enim rex Lusitaniæ, qui Ioanni  
I I. suc-



II. successit, primam, Vasco Gama duce, classem in Indiam misit, qui Orientalis Indiae imperium Lusitanis primus aperuit. Altera vero classis, Petro Caprali praefecto, rursus Indiam petens, aduersis tempestatibus in Brasiliam, noui orbis in occidente prouinciam, eiecta est.

Appulerat autem hoc anno, iisdem fere diebus, quibus Carolus, in Hispaniam, Didacus Columbus, maris praefectus, Christophori Columbi filius. Is immanem Hispanorum militum in noui orbis incolas, velut mancipia bello capta, crudelitatem reprimere ac lenire Caroli autoritate, eosque solo Dominorum nutu antea stantes aut cadentes, in vicos & oppida redigere, & ciuilem vitam degere, & religionis Christianae doctrinam discere cupiebat. Etsi autem frementibus Hispanis militibus, & libidini ac tyrannidi suae frenos iniici indignantibus, multae salutari huic instituto remore obijciebantur, tamen id initium fuit libertatis prouincialium vindicandae, & Episcopos in Nouo orbe certos ordinandi, quorum circiter viginti a Carolo deinceps instituti sunt, tribus archiepiscopis, S. Dominici in Hispaniola; & Mexici in noua Hispania; & Regij in Peruana subiecti.

Est enim totus hic nouus Orbis, qui a freto Magalanico ad terram Corterealis, ad

1300.

his. et decumens

ceientia uenire la uincantur.





1300. milliaria Germanica porrigitur, in  
duas ingentes peninsulas (Americam seu  
Peruanam, & nouam Hispaniam) angusto  
inter se Isthmo, ad Panamaidem cohæren- long. 300.  
tes; & congeriem insularum Chersonesis lat. 8.  
interiectarum, ex quibus clarissima est Hi-  
spaniola, diuisus. quarum singulis singuli  
archiepiscopi postea sunt præfecti. Nam  
circa hæc initia regni Caroli, solæ adhuc  
insulæ, & aliquot continentis Americæ, ab  
Americo Vesputio primùm resectæ, litto-  
rales prouinciæ: Paria, Cumana, Grana-  
ta, Terra firma, Dariene, quæ primùm con-  
tinentis noui orbis Episcopum Ioannem  
Cabedum habuit: & exiguus versus meri-  
diem tractus peruestigatus fuit: & Brasilia,  
Peruanis Orientem versus contigua, à Lu-  
sitaniis iam tenebatur; Qui, Orientalem In-  
diam primùm, Vascho Gama duce ingressi,  
iam Taprobanam & Malacam, olim aure-  
am Chersonesum, è directo Peruanis anti-  
podibus aduersam, ad Moluccas vsque  
Æquatori subiectas, & aromatum fertilita-  
te beatas, processerant.

Has insulas, Ferdinandus Magalanus,  
nobilis Lusitanus, vir magnanimus, à suis  
offensus, altero post Caroli in Hispaniam  
aduentum anno; ad Regis Castellæ, & non

D

Lusi-

1518.



Lusitaniæ, imperium pertinere ostendit per Rodericum Falerium mathematicum, ex Ptolemæi numeris, qui Indi fl. ostio 115. Gangis 145. aureæ Chersoneso 160. gradus longitudinis tribuit; demonstrans, Moluccas insulas, quæ adhuc 40. gradus inde abessent, extra limitem 180. grad. Lusitanis statutum, ad alterum hemispherium Hispanis concessum, pertinere.

1518.

Itaq; Carolus, quinq; nauium classe instructum Magalanum, ad Moluccas, nouo itinere per occidentem adeundas, dimittit. Qui animi magnitudine penè plus quàm humana, ignotas terras & maria lustrans, ad 53, latit. austrinæ gradum æquinoctialem transgressus, Fretum, quod ab eo nunc Magalanicum appellant, inter Peruanam & Polo antarctico subiectas terras aperuit. per quod, orientem versus, cursum dirigens, etsi ipse in insula Mautama, penè in conspectu Moluccarum, per insidias cæsus fuit: tamen duæ ex ipsius nauibus ad Moluccas peruenerunt. Quarum vna, toto terrarum orbe, auspicijs Caroli circum nauigato, incolumis Hispalim

1522.

3. Septem.

rediit, vbi reliquiæ illius, memoriæ posteritatis, iure meritoq; seruantur.

Præbuit autem hæc Magalani indicatio, &



tio, & inde ortum inter Reges vicinos & af-  
fines dissidium, Lusitanis occasionem, situs  
& interualla illarum regionum, aliquot  
eclipsibus Lunæ pariter in India & Lusita-  
nia, per homines peritos, à Petro Nonio  
mathematico instructos, obseruatis, dili-  
gentius explorandi. Cùm igitur animad-  
uertissent, vnã & eandem lunæ eclipsin,  
quæ in Diensi vrbe, ad ostium Indi, media  
nocte cernebatur; Lysibonæ, ex oriente lu-  
na, noctis initio conspici. ac semper lunam,  
Dij aut Cambaiaë, ad Indi ostia, sex horis  
antè, quàm in Lusitania deficere notassent:  
interuallum inter Lysibonam & Indi ostia  
proximum, esse nonaginta graduum de-  
prehenderunt. Inde inter Gangis & Indi  
ostia, 150. milliaria Germ. seu decem aut  
vndecim gradus rectissima linea per basin  
Chersonesi (in qua Calecuti, Decani, Nar-  
singæ, regna sunt) ducta, interesse attende-  
runt. cùm Ptolemæus (qui terras illas ipse  
non lustrasse, sed à nautis fide dignis, im-  
peritis tamen, iter illud, quod longissimis  
ambagibus Chersonesos circumnauigando  
ipsi confecerant, 350. mil. spacio merienti-  
bus, in errorem ductus esse à Lusitanis scri-  
bitur) 30. gradibus spaciũ illud definierit.  
perinde ac si Afer aliquis, harum Balthici  
littoris regionũ ignarus, Cimbricam Cher-  
D s sone-



52  
sonesum, nobis viciniam, ab Albis ostio vsq[ue]  
ad Drauum Lubecæ portum, nauis, ampli-  
us 130. milliarium seu tredecim graduum  
spacio circumiens: tanto interuallo, Albis  
ostium à Drauo abesse, domi referret. cum  
recta linea, per basin Cimbricæ Chersonesi  
ducta, vix 3. gradus seu 30. milliarum com-  
plectatur.

Idem in alterius Chersonesi Indiæ, cu-  
ius extremam oram, aurea Chersonesus,  
Malaca hodie dicta; & obiecta illi Tapro-  
bana insula, hodie Samatra, obrinet; de-  
scriptione, Ptolemæo accidisse aiunt. cuius  
numeris, in recentiorum Geographorum  
tabulis emendandis, hæ Lusitanorum ex-  
plorationes accuratæ occasionem primam  
dederunt.

1520.

Biennio post Magalani nauigationem  
Ferdinandus Cortesius, Caroli Cæsaris au-  
spicijs, amplissimum nouæ Hispaniæ in  
nouo orbe imperium, tormentorum præci-  
pue miraculo terrefactis populis, occupa-  
uit. cuius metropolis MEXICA, situ & fre-  
quentia ciuium, Venerijs similis, archiepi-  
scopi sedes à Carolo facta, eiq[ue] septem E-  
piscopi, Xaliscæ, Mechauacæ, Guaxacæ,  
Tascalæ, Guatimalæ, Chiapæ & Nicara-  
guæ, in reliquis regni prouincijs, subiectæ  
sunt. Et iam Franciscus Pizarrus, maris  
austrini,



53

austrini, quod Blascus Nonnius, transito 1515.  
ad Darienem Isthmo, primus inuenerat;  
Peruuiæ littora, trans æquatorem perlu-  
strare cœperat. in quam, colonias aliquot,  
ipse postea Prætor à Carolo constitutus, 1530.  
deduxit, & Proregis & archiepiscopi sede,  
Regij, quæ vrbs, 290. gradus long. & 13.  
lat. austrinæ habet, erecta, longè lateque  
Christianam religionem in amplissimis  
Peruanæ regionibus, imperio Caroli subie-  
ctis, propagauit.

Hæc omnium studiosorum cognitio-  
ne dignissima, quæ in hæc auspicia Regni  
Caroli Hispanica inciderunt, præterire in  
Chronico Saxoniae nolui. præsertim cum  
nouæ huius Hispaniæ incolas, linguâ Saxo-  
nicâ seu Belgica antiquitus uti, baro Scha-  
vvenbergius, qui Caroli V. vitam libris  
quinq; descripsit, velut certum ac explo-  
ratè cognitum adfirmet.

Fol. 735. 736. 737. 738. 739. 740: numeri,  
paginarum usq; ad finem libri emendentur.

Fol. 749 emendato: de mutatione Religionis  
Rigensi, multa copiosius explicata inscruntur.

LIVONICÆ verò ciuitates, Riga,  
Derbatum & Reualia, iam superiore anno,  
Pontificiæ Religionis ritus mutare cœpe-  
rant: autore emendationis ecclesiæ Rigen-

D 3 . . . . . fis





sis primo, ANDrea CNophioCustrinense:  
 quem, Treptouiaë in Pomerania, Iohannis  
 Bugenhagij scholæ Rectoris collegam, &  
 persecutione Mandwelianâ indè eiectum,  
 Rigam venisse, & mox ad ministerium ec-  
 clesiæ D. Petri vocatum, modestè initio do-  
 ctrinam de Iustificatione Peccatoris gratui-  
 ta, per & propter solum Christum pro no-  
 bis passum & resuscitatum, auditoribus in-  
 culcasse, & abusibuscum hac doctrina pu-  
 gnantibus grauitè taxatis, ritus tamen  
 ipsos nondum mutasse, paulò antè com-  
 memorauimus. Accessit autem sequenti  
 anno collega turbulentior, Syluester Te-  
 getmeierus, qui Rostochio, vbi ecclesiæ D.  
 Iacobi minister fuit, nuper effugerat, & ad e-  
 undæ hæreditatis fraternæ causâ Rigam  
 profectus, exeunte anno 1522. in æde D.  
 Iacobi docere cœpit, & maiori impetu, pon-  
 tificiorum superstitiones & Idola palàm  
 coarguit ac detexit: adeò, vt vulgo abomi-  
 nationi esse cœperint, & paulò pòst, statuas  
 omnes ex templis eijcerent, & lapides se-  
 pulchris impositos remouerent. vt solent  
 in primis mutationum articulis multa in-  
 consideratius & turbulentius geri.

*Fol. 750. ( pag. b. 8. ) vers. 13. inserta.*  
 Cùm verò licentius & tumultuosius muta-  
 tiones illæ, Religionis prætextu, Rigæ ini-  
 tio



55  
tio susciperentur: Pontificij, tres monachos  
ad Papam & Cæsaris in Imperio Germani-  
co vicem gerentes principes, de his iniurijs  
conquestum emiserunt. Interea domi, Se-  
natus Rigensis, ne quid seditiosè aduersus  
summum magistratum agere viderentur,  
Archiepiscopum Casparum, ceu summum  
ecclesiarum suarum pastorem, subiectissi-  
mè rogant, vt propter Dei gloriam, & tot  
animarum salutem, & instantem necessita-  
tem, pios & sinceros verbi DEI doctores,  
ecclesijs in vrbe præficiat, ne, si officio suo  
arch. desit, ciuitas ipsa imminenti malo me-  
dicinam necessariam adhibere cogatur.  
Cum autem hæ preces aliquoties repetitæ,  
cum risu & ludibrio in aula exciperentur:  
communi ciuitatis consensu & approbatio-  
ne sinceri doctores per Magistratum vocati  
sunt. Cumq; indignum iudicarent, Tem-  
pla veræ religioni dedicata, tetrīs nondi-  
nationibus & Idolomanijs prophanari:  
Canonicos summi templi, & monachos ac  
virgines in cœnobijs, hortantur, vt impijs  
missarum sacrificijs & Idolatricis sancto-  
rum cultibus, & alijs abusibus omisis, ean-  
dem secum Euangelij doctrinam ample-  
cterentur. aut, si inueteratos abusus inter-  
mittere nolint, clausis collegiorum suorum  
foribus, celebrare iubent. Liberum etiam



discedendi ijs, qui velint, facultatem concedunt.

Dum hæc geruntur, Rigenses, per iudicium eorum, apud quos id monachi iactitauerant, cognoscunt, legatos monachos in reditu esse, & mandatum à Philippo marchione Badensi, Imperatoris Caroli V. in Hispania absentis vicario, de restitutione in integrum, ac, si non parerent, proscriptionem Rigensium adferre, qua bona eorum prædæ cederent, quacunque ratione occupanti, & debitores eorum à solutione crediti & venditi absoluerentur, nisi mox illi ad Romanæ ecclesiæ obedientiam redirent: & profligatis hæreticis, in pristinum statum omnia reducerent. Cùm autem nauis, qua in reditu vehabantur legati, vento coro, subito procellâ ciente, & infra arcem anchoram iacere non sinente, ad stationem usque nauium & portas Rigæ, propulsa fuisset: confestim monachos duos (tertius enim in ostio Dunæ nauis excesserat) ex latebris nauis extractos, in carcerem conijciunt, quorû alter Burchardus Valdis post paucas septimanas è custodia liber dimissus est, eò quod delicti veniam peteret, & religionem pontificiam vnâ cum cuculla abijceret: alter verò ultra annum carcere detentus. Domesticus autem commendator (vt vocantur)

ais. et decumctis

celestia uelutia unquam



runt) Rigensis arcis præfectus, Hermannus Hoyte, flagellum ingens nodosum in collegium mercatorum misit, ac monuit, ut illo monachos & sacrificos vrbe (si saluam eam vellent) expellerent. Monachi itaq; sibi metuentes, vel potius Archiepiscopum & magistrum ordinis Teutonici in ultionem eò validius extimulaturi, ipso Parasceues magnæ die, vexillis erectis, minas spirantes, simul omnes vrbe egrediuntur. Extat autem hodie typis expressa senatus Rigensis responsio, opposita falsæ Monachorum accusationi, ad PHILIPPUM marchionem Badensem & collegas, Cæsaris locum tenentes, qua suæ fidei summam & discessus monachorum rationem exponunt.

Hæc epitalis certaminum & turbarum, ex mutatione religionis Rigæ ortarum, in annum Christi 1523. incidit. Quibus sedandis imparem se Archiepiscopus Casparus cernens, Iohannem Blanckenfeldium, Episcopum Reualiensem & Derbatsensem, ingenio, rerum vsu, experientia, industria, eloquentia, Doctrina, (aliquot enim annos in Academia Francofordiensi Iuris Professor, & in Pontificis, Cæsaris, aliorumque regum & principum aulis notus erat) præstantem, & insigni Pontificiæ religionis ze-

A 5

lo ar-



lo ardentem, coadiutorem sibi ac successor-  
rem adsciscit. Qua electione Rigensibus  
significata, assentiri se ostendunt, si religio-  
nis emendatæ, & priuilegiorum omnium  
confirmationem, literis & sigillis electi  
Goad. & senis archiep. & totius dioceseos  
roboratam prius accipiant. Sed has con-  
ditiones Blankefeldius repudiauit, vt se-  
quenti anno prolixius exponam.

*Fol. 751. pag. c. 1. vers. 12. additus est  
editioni in folio: Archiepiscoporum Ri-  
gensium ac Epitaphiorum catalogus, quem  
ne quid nostræ editioni deesse videatur in-  
terponemus.*

Cum autem **SERIES** hæc **PRIMO-  
RVM LIVONIAE EPISCOPORUM &  
Archiep. Rigensium**, in Liuoniae arce Ron-  
neburga, vetustis & viuis imaginibus ex-  
pressorum, additis Epigrammatis cog-  
nitione non indignis extet: ne prorsus me-  
moriam eorum periret, ordine hîc adscriben-  
da duxi.

**MEINARDVS LIVONIAE  
EPISCOPVS PRIMVS.**

*Christum Liuonibus Meinardus prædicat Anno  
Milleno, centeno, nongeno quoq; quarto.*

*Templum Kerkholmum, medio Rubonis in amne  
Extruit, Vxeliâ, Dalenq; ad littora condit.*

Eius



59  
Eius sepulchro inscriptum Rigæ.

*Hæc sunt in fossa Meinardi præsulis ossa,  
Nobis primò fidem dedit annis quatuor idem  
Actis millenis, centenis nonaꝫ; genis  
Annis cum senis hic ab his it ab æthera pœnis.*

**BARTHOLDVS ABBAS LO-**

**KANVS ordinis Cisterciensium.**

*Bartholdus Rigam cingebat mœnibus urbem,  
Dum molitur opus, Liuo glomerante caterua  
Arma parat, bellumq; facit, concisus ab hoste  
Exanimis præsul, fulua prostratur arena.*

**ALBERTVS CANONICVS**

**BREMENSIS.**

*Vindicat Albertus clades felicibus armis,  
Arcem Dunmondam, disponit ad ostia Dunæ.  
Ensiseros vocat ad communia prælia fratres,  
Henricus Cæsar, titulis & sede beavit  
Imperij proceres inter, sacrosq; dynastas.*

**NICOLAUS CANONICVS**

**RIGENSIS.**

*Præside Nicoleo, rursus noua bella parantes  
Liunionij, oppugnant crescentis mœnia Rigæ.  
At victi pacem poscunt, dominosq; fatentur.  
Gens quoq; Curetum Christi tunc sacra recepit.*

**ALBERTVS I. AR-**

**CHIEP. RIGEN.**

*Pontificis dono summi, Latijq; Senatus*

*Alber-*



Albertus præfulget hic Archiepiscopus omnes:  
Hunc caput agnoscunt septem Liuonide terra  
Mitrati patres, rogat hinc sua iura magister.  
Ius cadit & dominum nobis tibi Brema creandi.

**IOANNES à LVNEN II.**

**ARCHIEPISCOPVS.**

Excipit illustres titulos, sedemq; Ioannes,  
Templa, sacrasq; viris deuotis fabricat ædes,  
Præscribit genti leges, moresq; feroci,  
Fertur Romburgi fundamina prima locasse.

**IOANNES à VECHTEN.**

Ah dolor aduersum venturos omen in annos  
Intestina parant distracti bella Ioannes  
Armipotensq; ordo: vicinæ ad fœdera gentes  
Sollicitantur: adest Vithines Lithuanus Heros,  
Pontifici auxilium præstat, funditq; magistrum.

**IOANNES COMES**

**SVERINI IIII.**

Ioannes comes ex prælustri gente Suerina  
Appetitur bellis Marianis, victus ad urbem  
Romanam supplex abiit, diuosq; precatur  
Vltiores, illa moriens nunc urbe quiescit.

**ISAVRVS, postea Archiepiscopus  
Lundensis in Dania.**

Pascit oues Christi mox archipræsul Isaurus,  
Temperat aduersas iras, & fœdere iungit

Vicinos,

ois. et decumctis

ceieria uenicia uicomu



*Vicinos, adit hinc Danos, ubi Londia sedes  
Præsulis alta micat, sacris dignantur habenis.*

**FRIDERICVS LIBER BARO  
EX BOHEMIA.**

*Fridericus clara prognatus gente Boëma  
Ter denos absens feliciter imperat annos  
Atq; nouem, terra nunquam Liuonide visus,  
Pontifici comes est semper, post fata recondit  
Gallia reliquias, venerans Auione sepulchro.*

**ENGELBERTVS à DALEN.**

*Engelbertus erat Derbati præsul, & inde  
Accitus Rigam summas moderatur habenas  
Oscula Pontifici summo fert pronus ad aras,  
Raptus & è terris Auione quiescit humatus.*

**VROMHOLDVS à VIFF-  
HUSEN.**

*Postquam Vromholdo custodia credita templi,  
Ecce ubi Riga iacet, mox Duna tumescit ab undis:  
Præcipites trahit illa domos, hominumq; cateruas,  
Præsentemq; urbi cladem vis fluminis affert.*

**SIPHERDVS à BLVM-  
BERG.**

*Traditur ut rerum Sipherdo summa potestas,  
Ordo potens bellis, & viuens ordine nullo,  
Curetes & Semgallos victricibus armis,  
Multaq; præterea manibus rapiebat auaris.*

**IOAN-**



IOANNES] à SYNTEN.

*Attollunt animos lætis successibus aucti  
Teutonici fratres, deturbant sede Ioannem  
Cum socijs, soli terram ditione prementes,  
Ille means Romam, peregris cadit exul in oris.*

IOANNES VVALLENRODER

nobilis Francus, atch. Rigen. XI.  
VVallenrodera Francus de gente Ioannes,  
Tempore que lentis fuit Hussus in ignibus vstus,  
Conciliumq; ingens cogit Constantia, patres  
Cardineosq; inter sedemq; locumq; tenebat.  
Indeq; Liuonios nunquam remeavit ad agros.

IOANNES HABVNDI.

Rigensis capit hinc populi moderamen Habundus,  
Pacis amans, sacri lustrat mysteria verbi.  
Pestiferum vidit, multis morientibus annum,  
Hos inter luctus, & funera mæsta suorum  
Correptus morbo, mortales exuit artus.

HENNINGVS SCARPENBERG.

Fœderis Henningus confirmat iura magistro,  
Condit Lemsaliam, Pcbuualdam, turreq; ditat  
Romburgũ, quæ nunc reliquas supereminet omnes  
Astra petens, Rigæ compositus pace quiescit.

SYLVESTER XIII. RIGEN-

sis archiep. fuit Magistri Liuoniæ  
Cancellarius.

Arce



Arce Cochenhusia capitur Syluester, iniquam  
Carceris experiens sortem, calcante magistro  
Pocula lethiferis propinat mista venenis,  
Liunionæ annales dedit ignibus ordo repertas.

**STEPHANVS GRVBEN LI-**  
psensis XV. archiepiscopus Rigensis.

Immersit Stephanum casu fortuna lugubri  
Velatis oculis, & spinæ impostus equinæ,  
Atq; manu caudam prendens extruditur vrbe,  
Concidit indulgens lachrymis, fractusq; dolore.

**MICHAEL HILDEBRANDI**  
Reualien. XVI. archiep. Rigensis.

Bellipotens en Plettenbergius atq; Michaël  
Coniuncti, Moschos felici Marte retundunt,  
Auspicijsq; suis præscribunt fœdera pacis:  
Egregiam statuunt laudem, famamq; perennem.

**CASPARVS LINDE VVEST.**

Aurea Caspari sunt tempora nescia belli:  
Nam parto gaudebat Liuona terra triumpho.  
Associant animo, fraternaq; iura colentes,  
Grata Deo merita soluunt præconia laudis.

**IOANNES BLANKENFELD**  
Berlinensis, archiep. Rigensis, Episcop.  
Reualiensis & Tarpatensis I. D.

Pristina detrectant Rigenses iura Ioanni,  
Dinisi diuersa probant oriente Luthero.

Eljci-



Eÿciunt claustris monachos, ritusq; nouarunt.  
Hispanias præsul querulus discedit ad oras.  
Terquomada moriens, causam vitamq; reliquit.

THOMAS SCHONING  
RIGENSIS.

Idem Schoningo ciues parere recusant.  
Omnis egenus opis, nunc his, nunc supplicat illis,  
Et tandem socium sedis, regniq; recepit,  
Machiaca natum prælustri gente dynastam.

VVILELMVS MARCHIO  
BRAND. &c.

Brandenburgiæ domus hinc generosa propago  
Marchio VVilhelmus, premeret cum cana senectus,  
Ordinis ensiferi stimulis agitatius acerbis.  
Impetitur bello: mox captiuatur ab hoste  
Mille & quingentos sex quinquagintaq; Phœbus  
A nato Christo cursu compleuerat annos.  
Extitit ille dies & fons, & origo malorum,  
Terris dira minans fulgore cometa coruscat.  
Indignam doluit vicina Polonia sortem  
Principis agnati, iustisq; accingitur armis.  
Integra VVilhelmo redeunt sic iura priora:  
Patrono moriens tradit sua iura Polono.  
Moschica Liuonides victricia signa perosi,  
Fœdera Lithuanis iungebant legibus æquis.

Nunc



165  
Nunc ad Chronicon anni 1523. redeo,  
cuius prima die

SVBDIT se GetICO RhODos ante InfraCta tyranno,  
Christe, ab natalis LVCE oriente tVI.

753. vers. 15. addita est Bucerii & primæ  
emendationis ecclesiæ Argentinensis men-  
tio. Erat tum temporis Pastor ecclesiæ in  
oppido Francisci Nanstal, MARTINUS BV-  
cerus Selestadiensis, qui, cum à puero in so-  
dalitijs Dominicanorum, Selest. Heidelber-  
gæ & Moguntiaë vixisset: tandem agnitis  
vitæ monasticæ superstitionibus, eâ deserta,  
ad Franciscum Siccingium se contulit, eo  
tempore, quo Lutherus VVormatiæ coram  
Cæsare Carolo causam dicebat. Fran-  
ciscus Friderico Palatino, Præsidi senatus  
Imperij, eum commendavit, cuius Eccle-  
siastes aulicus integrum annum fuit. donec  
vacante Parœcia Nanstallensi, à Francisco  
reuocatus est.

Cum autem inter tumultus belli, quod  
cum Treuirensi gerebatur, assiduos, viuere  
Bucerus, & studijs tranquillè vacare non  
posset: veniam aliquantisper VVitebergam  
secedendi, donec pax restituta esset, à Sic-  
cingio impetrauit. Sed à vicino pastore  
VVissenburgensi ad Rhenum inuitatus, di-  
midium ibi annum subsistens, ad D. Ioan-  
nem

E nem



nem prædicavit. donec à vicario Spirensi, cum pastore suo Henrico Motherero, pulsus, Argentinam se contulit. vbi Matthæus Zellius, & alij, iam semina doctrinæ purioris, coniuente Sigismundo comite Hoënloensi collegij Decano, spargere cœperant. ad quos, cum Bucerus, V Volfgangus Capito, & alij Symmystæ, ingenio, doctrinâ & eloquentiâ præstantis, & zelo singulari feruentes, accederent: purior Euangelij doctrina in ea vrbe late propagata & confirmata est. Hi fundamenta & causas susceptæ à se mutationis rituum Missæ seu Cœnæ Domini, Baptismi, dierum festorum, imaginum, cantionum, in publicis ecclesiæ congressibus, ex sacris literis, edito libro, quem Friderico Palatino dicarunt, exeunte anno 1524. exposuerunt. cui subscribunt V Volfgangus Capito, Caspar Hedio, Matthæus Zell, Symphorianus Pollio. Theobaldus Niger, Ioannes Latomus, Antonius Firm. Martinus Hag. Martinus Bucerus.

Pag. 756. proximè ante CHRISTIERNI, DANIE Regis TRAGOEDIAM, collocata est Pars familiæ SICCINGIORVM. Cum autem vir præstans & Heroicus hic Franciscus fuerit, & militiæ ac togæ artibus excellens, & in Nobilitate Germanica, inter primos, sincerioris doctrinæ, eiusq; professorum

MS. ET DOCUMENTS  
 CELESTIA VENTURA UNICUM...





67  
fessorum patrociniū suscepit, & filios ac  
nepotes non degeneres reliquerit: partem  
Genealogiæ SICCINGIORUM, qui sedem fa-  
milie antiquissimam in Græchgæa, tribus à  
Menzinga passuum millibus disitam, te-  
nent, adscribam.

### SVVEICARDVS

à Siccingen, Palatini Ruperti IMP.  
Magister Curie, circa annum Chri-  
sti 1400. Græchgææ arcem Siccingam  
incoluit.

### REINHARDVS.

---

Sweicard, ducta Margarita hæ- rede arcis Hoenburg & Nan- stein, ad Vogesum sedem tran- stulit, circa A. C. 1490. Magi- ster Curie palatini Philippi, cuius exercitum ducens in Bel- lo Bauarico Landhuti ⊕ 1504.	Reinhar- dus epi- scopus VVorma- tensis.
--	--

FRANCISCVS, Caroli V. Consilia-  
rius, & militiae præfectus. Lutheri, Hutteni,  
Buceri, Oecolampadij patronus, ⊕ 1523. die  
2. Maij. Vxor Hedwigis à Flersheim, 1515.

---

Sweicard,	Ioannes,	Franciscus
		Conradus
	E z	ab







praelatis & nobilitati, liberrimum fuit, regem &  
Dominum aliquem, suo iudicio & arbitrio desi-  
gnare, & in communem regni & Patriæ consola-  
tionem & salutem eligere, cuius gubernatione,  
exemplo, & ductu regnum supra dictum, Christia-  
nis statutis & ordinationibus, secundum leges suas  
scriptas, & antiquas consuetudines vigere, miseri  
& oppressi subditi subleuari, vidue & pupilli de-  
fendi possent. Qui quidem rex semper hætenus  
à prima electione, conuenienti iuramento & obli-  
gatione se huic regno deuincire coactus est. Etiam-  
si igitur nobis omnibus regni huius ordinibus &  
consiliarijs licuisset, post obitum potentissimi Re-  
gis quondam Danie Iohannis laudatæ memoriæ,  
pro iure nostro, secundum antiquam, & multis se-  
culis continuatam regni Danici libertatem, regem  
aliquem pro arbitrio nostro designare & eligere:  
tamen virtute, iusticia, magnanimitate, bonitate  
& beneficentia, eorum Danie regum, qui ex Hol-  
satorum prosapia originem duxerant, moti; &  
bona spe freti, fore ut rex Christiernus è vestigijs  
regijs aui sui Regis Christierni, & Regis Iohannis  
patris sui non excederet: sed potius ad eorum si-  
militudinem & exemplum, gubernationem suam  
institueret: supra dictum Regem Christiernum II.  
vivo adhuc patre Iohanne, in Regem & Dominum  
totius Danie designauimus & elegimus.

E 3

Quo



Quo quidem ipso tempore celsitudo ipsius so-  
lenni IURAMENTO, verbis conceptis, & Deo  
sanctisq; testibus citatis, praestito, Archiepiscopis, E-  
piscopis, Dynastis, praelatis, equitibus, ciuitatibus  
& populo regni Danici se deuinxit & obligauit,  
cuius iuramenti inter alia haec quoq; capita expres-  
sa fuerunt: Debemus ante omnia Deum diligere  
& colere, & sanctam ecclesiam defendere & am-  
plificare. omnia episcoporum, praelatorum & mi-  
nistrorum status ecclesiastici priuilegia, à S. Eccle-  
sia & regibus Christianis ipsis concessa, inuiolata  
conseruare. Archiepiscopos quoq; Londensem  
& Nidrosiensem, & praeterea episcopos, praelatos,  
Equites auratos, & alios ordinis equestris, regni  
proceres, & consiliarios, conuenienti obseruan-  
tia & honore, pro cuiusque conditione & sta-  
tu prosequi. Si qua nobis controuersia sit  
cum archiepiscopis, episcopis, aut praelatis S.  
Ecclesiae, eorumue ministris, in locis conue-  
nientibus, nimirum coram senatu regni, co-  
gnosci & transigi oportebit. Si qua nobis ipsis,  
aut praefectis nostris, controuersia, cum aliquo ex  
nobilitate, siue is senator regni sit, siue non, inci-  
det, eum coram uniuerso regni senatu, hoc nomine  
compellare debemus, siue ea controuersia sit de fun-  
dis, siue de alijs quibuscunq; bonis aut negotijs.

Et



Et sicuti tenemur unumquemq; iuuare, ut ius suum consequatur; ita nos ipsi quoq; obnoxij esse debemus, unicuiq; coram senatu regni nos accusanti comparere, & ad ipsius postulata usitato iudiciorum more respondere, et quidquid à senatu regni super ea re decretum & pronunciatum fuerit, id ipsum exequi, neq; huiusmodi legitimas, accusationes aut postulationes inclementi animo ferre. Debemus etiam sine ullo præiudicio, gratia, aut muneribus, ex æquo, tam pauperi quàm diuiti, tam hospiti quàm indigenæ, ius dicere & administrare. Nullum etiam bellum incipere, aut externum militem in regnum introducere debemus, communi senatu regni non præsciente & consentiente. Literis quoq; & Diplomatis vel nostro vel etiam patris nostri Regis Iohannis signo confirmatis, plenam & inuiolatam fidem & auctoritatem relinquere, eiusq; res alienum, quod liquidum est, dissoluere debemus. Moneta quoq;, quam cufuri sumus, proba & sufficiens esse debet, ita, ut duæ marcæ æquivalentes sint uni aureo Rhenano. Item, Nos Christiernus & obligamus nos, quòd omnes & singulos articulos, in quos iurandum nobis est, incolis regnorum Daniæ & Norwegiæ, constanter re ipsa præstare velimus. Sicuti etiam ex aduerso subditi obligati esse debent ad suum homagium, & auxilia militaria inuiolata seruanda & præstanda.



Si verò (quod Deus auertat) contra istos articulos agendo delinqueremus, & senatorum regni admonitionibus nullo modo locum dare institueremus: tum omnes regni incolæ, ratione honoris & iuramenti sui, coniunctis viribus, fideliter in hoc incumbere debent, ut hoc auertant. Id faciendo, contra sua iuramenta, obligationes, homagia, quo astricti nobis sunt, nequaquam fecisse censi debent. Huius generis plures alij articuli iuramento inserti fuerant, qui hoc loco breuitatis gratia prætermittuntur.

Vt etiam regia ipsius dignitas, post iuratos hosce articulos, vehementius & ardentius ad virtutes regias & Christianarum sanctionum huius regni conseruationem incitaretur & inflammaretur, commodas rationes & vias inuimus, tandemq; perfecimus, ut illustrissima princeps D. Elisabetha, ex Hispaniarum regum & Archiducum Austriae Illustrissima prosapia oriunda, matrimonio ipsi coniungeretur. Sperabamus enim, dignitatem ipsius regiam, admonitionibus nobilissimæ & excellentis virtute, & summa orbis Christiani regum familia ortæ reginæ, & præterea consideratis tantis & tam eximijs ac sublimibus tot Regum ac Imperatorum affinitatibus, motum iri, ut omnibus Christianis & regijs virtutibus, eum clementia & bonitate coniunctis, in tota gubernatione sua



ne sua eò diligentius incumberet.

Verùm, statim post coronam acceptam, Regia illius Maiestas, animi acerbitatem, tyrannidem, rapinas, immanitatem crudelem et sanguinariam, declaravit (quod tamen non iniuria ipsum afficiendi animo, sed extrema necessitate, ad defensionem honoris nostri compulsi, scribere & diuulgare volumus, de quò ipso palàm protestamur) imprimis autem amoris & fidei coniugalis nobilissimæ & omni virtute præstanti Reginæ debita, oblitus est. Quedam enim turpis, infamis, & peregrina vetula, Syburgis, omni pudore & virtute destituta, & ad omnem impuritatem proiecta, propriam suam filiam, Regi prostituit. Quam Reginæ coniugi suæ nobilissimæ, status conditione, dignitate et gubernatione rex prætulit, eiq; præ omnibus regni consiliarijs, summam Imperij in Dania commisit. ex cuius peruersa administratione & mandatis, multe cædes, homicidia & iniuste in causis tam capitalibus quàm ciuilibus condemnationes extiterunt. Et quamuis Regina (quam semper pro Regina & dominatrice nostra deinceps quoq; agnoscere & habere cupimus) ab honestiss. matrona, Anna Holgeria, Gynæcei sui præfecta moneretur, ut Dominum & maritum suum amicè hortaretur, ut à vita illa flagitiosa, quæ Christianum coniugem, & imprimis regiam

E 5

digni.



dignitatem, nequaquam deceret, desisteret: ta-  
men, quam primum hoc rex & anus illa rescie-  
uerunt, statim matrona illa, propter Christianam  
admonitionem innocens ab officio suo remota, &  
miserabiliter regno expulsa, & omnibus fortunis  
suis spoliata est.

Eodem modo Tobernum Ochsum, de ve-  
neno, filiae Syburgis propinando, falso à se  
insimulatum, innocentemq; deprehensum,  
& à senatu quoque regni eo nomine absolu-  
tum, in ignominiam & contumeliam Ger-  
manicæ nobilitatis, tantum mendacibus turpif-  
simæ illius mulieris sermonibus fidem habens,  
capite truncari iussit.

Quamuis etiam Regis ipsius Maiestas ingens  
& publicum bellum, contra datam fidem, nobis in-  
consultis & inscijs, contra Suecos excitauit: ta-  
men ut animum nostrum fidelem, & regiam ipsius  
personam & nomen extollendi, imperium ampli-  
ficandi, & exteras nationes & regna subiugandi  
eupidum, posset deprehendere: nos omnes, nostra  
corpora, fortunas, regiones & subditos, in magna  
pericula coniecimus: quod bellum septennale, con-  
tra potentissimum regnum Sueciæ gessimus: &  
tandem



tandem cum effusione sanguinis nostri, & extrema  
 serè cum pernicie stiris nobilitatis Danicæ, auxilio  
 Dei omnipotentis, contra regnum iam dictum,  
 victoriam obtinuimus, & Regiæ ipsius Maiestati  
 Regnum subiecimus. Vt autem Regnum Sueciæ  
 in perpetua fide & obedientiâ Regiæ ipsius Ma-  
 iestatis maneret, in ipsa coronatione, SUECIS  
 verbis conceptis, Deoq; & sanctis testibus citatis,  
 iuravit se ipsis antiqua sua iura, immunitates, &  
 priuilegia incolumia relicturum, & omnium que  
 in bello exortæ sint offensionum, & inimicitarum  
 memoriam, sempiterna oblivione aboliturum  
 esse. Cumq; ne tum quidem satis Regiæ ipsius  
 Maiestati fiderent Sueci, necesse fuit nonnullis  
 ex episcopis, prælatis, & nobilibus Danicis,  
 pro rege fidem suam interponere, eamq; diplo-  
 matibus eo nomine confectis & obsignatis, con-  
 firmare. Quæ quidem ipsa in re deesse illi  
 noluimus.

Etiam si autem regna & populi armis  
 subiugati, tantummodo iure & iusticia  
 in officio contineantur: tamen Rex hoc ipso  
 non satis benè considerato, & maximis gra-  
 uissimisq; iuramentis posthabitis, triduo  
 post coronationem Suecicam, Episcopos,  
 prælatos,



praelatos, Nobilitatem, unã cum consulibus & alijs præfectis (tanquam ad conuiuium regium & solennem de impetrata à Deo victoria gratulationem) inuitauit, qui etiam fide & inuitatione regia illecti, unã cum amicis, uxoribus & liberis suis, reuerenter comparuerunt. Sed tam amicè inuitati, admodum hostiliter excepti sunt, ipsorumq; plausus in mœsticiam commutatus est. Ex liuore enim tyrannico ipsis imputatum est, quod puluere tormentario arcem ipsius regiam passim consperissent, ut ita incendio eum è medio tollerent. cùm tamen certissimis indicijs compertum sit, illud à rege ipso, eum in sinem factum esse, ut speciosiore aliquo prætextu, causam mortis in eos confingeret, quos aliàs nullo iure questionibus subijcere potuisset. Atq; ita reuerendissimi, strenui, & honestissimi vi, D. Matthias zu Strengenisse/ & D. Vincentius Scharensis episcopi, & præterea sexaginta equites aurati & viri nobiles, aliqui etiam consules, senatores, & ciues, vno die, sine vllò iudicio, ex mera tyrannide, contra datam fidem, decollati sunt. Quorum etiam cadauera, vestibus nudata, cum in tertium vsq; diem in foro Stockholmensi, miserabili alijs spectaculo fuissent, tandem igne comburi iussit; ac etiamsi illi adhuc viui more Christiano confessiones suas edendi cupidi essent, tamen hoc ipsis animo prorsus maleuolo denegatum est. Eodem



Eodem modo Reuerendum & religiosum D.  
Abbatem Nyddalensem & quinque fratres, qui tum  
in honorem Dei Missas celebrabant, die purifica-  
tionis Mariæ, sine ullo iudicio, aquis suffocari cu-  
rauit, nullam aliam ob causam, quam quod du-  
rante adhuc bello, una cum alijs se regi opposuis-  
sent.

Sex præterea ex nobilitate Suecica, qui com-  
munis inter Daniam & Sueciam pacificationis no-  
mine, fide publica & regia, & quidem vocati an-  
tea venerant, sibipsi obsides constituit, eosque in  
durissima vincula coniectos, tamdiu apud se deti-  
nuit, donec regnum Sueciæ sibi subiecisset.

Multos quoque nobiles, inter quos nonnulli ex  
familia Ribbingia fuere, una cum duobus pueris  
adhuc teneris, qui fide & clementia ipsius freti,  
isthuc venerant, capite plecti: sicuti etiam Ton-  
num Erici filium, & Henricum Stichum, una cum  
multis alijs nobilibus, in Finlandia, sine ullo iu-  
dicio decollari iussit.

Episcopo Finlandiæ domum & possessiones suas  
per violentiam ademit, ita quidem, ut ille sibi  
consulens, paulò post tempestate in mari exorta  
nausfragio miserabiliter perierit. Breuitatis causa  
multa alia praua & tyrannica facinora, in regno  
Sueciæ, contra Deum & omnem æquitatem ab  
ipso perpetrata, hic prætermittimus.

Quocirca



Quocirca Episcopi, Dynastæ, Prelati, Nobilitas, Civitates & reliqui regni Suecici incolæ, qui crudeles, impuras & sanguinolentas ipsius manus, vita sua incolumi effugerant, contra eum insurrexerunt, satius & honestius esse rati, potius in acie pro salute patriæ, quàm domi sordidis & turpissimis supplicijs innocentem excarnificatum, mori. Atq; ita (nostro quidem iudicio non immerito) sumptis armis & palàm bello contra regem suscepto, tyrannicum illius iugum excutere instituerunt.

Etiam si igitur nos periculo corporum & fortunarum nostrarum, ipsi, post auxilium diuinum in regno Sueciæ subiugando adiumento fuerimus: tamen non nostra sed sua ipsius culpa iterum eodem regno excidit. Quocirca denuo ab eo interpellati, ut Sueci nostro auxilio ad priorem obedientiam adigerentur; ne id quidem (quamuis nullo iure aut lege teneremur) facere recusauimus. ut vel hoc modo fidelis animus & voluntas nostra, à Rege perspiceretur, & quandoquidam ferè supra quàm vires nostræ ferrent (cùm iam antea nostros equos, arma, naues, aurum, argentum, clinodia & insuper nostros amicos, affines & propinquos in Sueciâ reliquissimus) denuo



Ad uero terra mariq; magnis impensis militem  
& naues armare & instruere: propria corpo-  
ra nostra, possessiones, pecuniam & facultates  
omnes impendere: & una cum ipso totam bellè  
molem, in tertium usq; annum sustinere non de-  
trectaremus. Idq; optima spe freti, futurum  
ut fidelia hæc nostra seruitia, tandem aliquan-  
do à regia ipsius dignitate cum clementia agno-  
scerentur.

Verùm his omnibus non consideratis, ille  
interea Episcopos, Prælatos, Ecclesias, Cœno-  
bia, Hospitalia, Sacerdotes, matronas, uirgines,  
nobilitatem, ciues, viatores, negociatores,  
& miseros deniq; Rusticos, immoderatis & in-  
auditis exactionibus, uectigalibus & expilationi-  
bus onerauit.

Præterea maximam bonorum nostrorum  
partem, unà cum auro & argento, exactioni-  
bus extorsit, ad se translata adhuc retinet.  
Monetam uero nullius momenta cupream, ex  
ahenis cereuisiaris, usu detritis, cusam, in re-  
gnum intrusit. quam equo cum argenteis &  
aureis monetis precio, à milite ipsius  
acceptare, & ut in toto regno usur-  
paretur & ualeret, coacti sumus tolerare.

Cum



Cum tamen illa in finitimis regnis, nationibus & ciuitatibus nullius valoris esset. res nostra familiaris, cum omnibus commercijs iacerent: regnum hoc nostrum antiquum cum suis incolis omnibus suis neruis & viribus plane exhauriretur, & ad extremam egestatem & inopiam conijceretur. Et quamuis hæc quoq; omnia, ut bello suscepto optatus tandem finis imponi posset, submissè tolerauerimus: tamen ne hæc quidem ratione quidquam apud Regem proficere potuimus, cum ille palam hominibus fide dignis audientibus diceret, se & corporibus & fortunis imminutos ita nos debilitaturum, ut passim omnibus contumeliæ & ludibrio essemus. Cuius sui propositi statim etiam exemplum reipsa nobis exhibuit.

Archiepiscopum enim Lundensem D. Georgium Schotburgum, quem secretarium quondam suum hæc spe ad dignitatis illius fastigium rex eue-xerat, ut quædam archiepiscopatus illius prædia ad se transferre posset; cum regis cupiditati postea non gratificaretur, quod diceret, iuramento se illi ecclesiæ præstito, quod violare à se minimè deccret, prohiberi: seq; potius turpissimam mortem obire, aut vitæ monasticæ etiam durissimæ in reliquum vitæ tempus mancipare se velle, quam in periurij suspicionem vel minimam se conijcere. Cum igitur aliquot pœnarum, quæ innocenti irrogabantur,



gabaneur, optio illi concederetur; ad vitam tandem  
monasticam à rege compulsus est. Quo facto, sti-  
tim Prælatos & Canonicos ecclesie Lundensis per  
litteras ad se accersuit, eumq; illi præstita obe-  
dientia comparuissent: iussit eos contra fidem  
regiam, in infamem & foetentem carcerem com-  
pingi, iisdemq; paulò post insulam Bornehol-  
mam, Ecclesie illi Lundensi subiectam & pro-  
priam, cum omnibus arcibus, oppidis & vicis,  
nullius excusationis ratione habita, vi metuq; coa-  
ctis, ademit.

Reuerendissimus quoq; Iohannes Episcopus Fyo-  
nie, cum literis regijs ad iuridicam vocatus com-  
paruisset; eodem modo miserabiliter, & præter o-  
mnem culpam captus, & in carcerem coniectus est,  
& rex omnia collegij illius ecclesie bona, petu-  
lanter ad se transtulit.

Nemo etiam, vel ex senatoribus regni, vel ci-  
lij Daniæ incolis, sine corporis & vitæ sue peri-  
culo, ipsum conuenire: aut si quis omnino fortu-  
nam suam hæc in parte periclitari institueret;  
nequaquam id, nisi prius peccata sua sacerdoti  
confessus esset, & ad mortem se preparasset, ten-  
tare ausus est. cum sæpenumero in eas angustias  
coactos nonnullos constaret, ut ne confitendi qui-  
dem spaciū illis concederetur. Ex quo ipso hoc  
quoq; consecutum est, ut regno huic, & communi

F patria



patric nostræ, consilio & consolatione nostrâ, auxi-  
lio esse non possemus. Eodem modo Præpositum  
Rotschildensem, & D. Nicolaum Erici, multosq;  
alios prælatos & viros ecclesiasticos, qui patri  
& matri ipsius laudatæ memoriæ fideliter in-  
seruierant, absq; ulla misericordia, bonis suis spo-  
liavit.

Politico quoq; & equestri ordini, reliquisq; re-  
gni inquilinis nequaquam pepercit. Mandato  
enim ipsius, vir strenuus & nobilis, Magnus Ta-  
massenus, qui toto vitæ suæ tempore, ab omnibus  
habitus est homo integer & probus, & quem ne-  
mo unquam quidpiam, quod honestum & nobi-  
lem virum non deceret, gerere aut facere anim-  
aduertit, quiq; etiam in fide Christiana pie mor-  
tuus erat. hic inquam Tamassenus, ex terra ite-  
rum effossus est, ipsiusq; cadauer, in foro Arhu-  
siano, in singulare Danicæ nobilitatis ludibrium  
& contumeliam, suspensum est. & insuper Rex  
omnia illius, viduæq; ipsius relicte, bona, cum  
omni auro, argento, & climodijs, sine ulla postu-  
latione iudicali, ad se & in suam potestatem re-  
degit.

Strenuo quoq; D. Iuggoni Krabbio, equiti au-  
rato Mare scalco, qui ipsi longo tempore in Dania,  
Norwegia, et Suecia honestè et fideliter, etiam cum  
effusione sanguinis, & bonorum suorum iactura in-  
ser.



seruierat, unum ex pagis suis Vifchbecum nouum,  
una cum multis ad eum pertinentibus fundis & bo-  
nis, aperta vi, & contra religionem iusiurandi,  
ademit, & sibi vindicauit, cum interea ille multis  
modis ad legitimam causae cognitionem, sed tamen  
frustra, prouocaret.

Cum ex ministris ipsius aulicis Nicolaus Daa,  
quodam vespere in caupona, & symposio sedens,  
hospiti ex fenestra rhombos aliquot vitreos fortui-  
to excussisset; & tamen eo nomine statim sequenti  
die hospiti pro tantillo damno abunde satisfacis-  
set: nihilominus tamen, ob causam tam nihili,  
pater ipsius in arcem Hafniensem violenter abdu-  
ctus, & tamdiu captiuus est detentus, donec  
praefectus regius, missis in domum eius satellitibus,  
omnes ipsius cistas aperuisset, omne aurum & ar-  
gentum inde exemisset, & ad quatuor Marcarum  
Danicarum millia vi metuq; illi extorsisset.

Quinetiam contra iuramentum & datam fi-  
dem, Schloß Belauben / Ius electionis, quod  
antea senatus regni proprium erat, post mortem ad  
suos heredes trastulit, quo ipso antiquum nostrum  
& liberum regnum, hereditariae oppressioni  
subijcitur, & nos libera nostra electioni spoliati  
sumus.

Quid, quod à quolibet, etiam pauperrimo huius

R 2

regni



regni incola, binos in singulos annos florenos, in  
perpetuum deinceps numerandos, ausus est exige-  
re, cum tamen multi ex ijs, vix binos solidos suis  
dominis quotannis exsoluere possent.

Nec tantum Danicæ nobilitatis excidio, ani-  
mus ipsius sanguinarius satiari non potuit, sed in  
Germanos etiam nobiles ingratitude suam ef-  
fudit. Honestum enim virum Stephanum VVeber-  
stedium, in Turingia loco equestri natum, qui lon-  
go tempore, sicuti ministrum fidelem & nobilem  
decebat, pro supremo Capitaneo peditum Danorum  
contra Suecos ipsi inseruierat, & qui præclaræ  
fortitudinis sue specimina, cum hoste usq; ad san-  
guinis effusionem dimicans, ediderat, cui etiam  
hoc nomine præfecturam Olandensem datis literis  
concesserat. Hunc inquam Stephanum, cum diu-  
tius præfectura illa carere nollet, ex asylo cœnobij  
Sp. S. ab ipsius auro fundati abreptum, decollari  
iussit, hoc prætextu, quod in domo publica militi  
cuidam vulnus inflixisset, cum quo tamen ille,  
amica transactione interueniente, iampridem in  
gratiam redierat.

Eodem modo, cum coniugis sue regie cubicu-  
lario Maximiliano egit, qui regnam in regnum  
Danicæ aduenientem comitatus fuerat: cum enim  
cum Regina ad Cesaream Maiestatem, & Domi-  
nam Margeretam, cum literis ablegasset, Rex an-  
tequam



nequam Dania excessisset, ex itinere retrahi, & capitali supplicio affici iussit.

Ad hæc cum fortissimus ipsius capitaneus N. von Hederstorff nomine prædicatorum Stockholmensium, honestos aliquot milites, pro stipendio suo, & quibusdam alijs consuevis, Hassniam misisset; præfectus Hassniensis eos exceptos Abrumstorpum deduxit, quasi regem ibidem inuenturum essent. Eò autem cum venisset, loci præfectus, eos carceri mancipatos, paulò post sine ullo iudicio, unà cum puero quopiam trucidari iussit.

Suum quoq; Germanicum Secretarium Stephanum Hopfensteinorum, cuius opera in grauissimis negocijs apud Cæsaream Maiestatem Electores & principes Imperij Romani usus fuerat, ad impudentissimæ mulieris Siburgis mendacem delationem, inclementer persecutus, ipsius vitæ & bonis insidiatus est. Qui tamen evidentissimo Dei omnipotentis auxilio, manus ipsius cruentas ex Dania euasit, & in Cæsaream urbem Lubecam confugit, ubi nihilominus à ministro Regio, eius vestigia insequente, accusatus, & in custodia aliquandiu detentus fuit, donec tandem causa probe cognita, ab iniusta eius accusatione & insimulatione, per sententiam absolutus est.

Præterea multas quoq; exterarum nationes, Hol-  
E 2 landos,



landos, Brabantos, Flandros; Lubeeenses, cum omnibus ciuitatibus maritimis, contra data priuilegia, & regia diplomata, pecunijs suis emunxit, & quotiescunq; illi negociorum suorum causa in hoc regnum appulerunt, statim nauibus & mercibus suis spoliati sunt.

Et quamuis Norwegie quoq; regnum semper ipsi fideliter fuerit subiectum, & pro viribus omnia sua officia & auxilia prestiterit, eiusq; omnibus edictis & interdictis cum obsequio paruerit: tamen neq; Deo consecrati episcopi, neq; Nobilitas, neq; populus, illius inclementem & immisericordem animum effugere potuit. Episcopus enim Hammerensis, licet innocens, in crudeli admodum carcere captiuus est detentus, ita quidem, ut ex foetido & impuro aere, curis, diuturnaq; sessione, omnibus suis viribus consumptis, tandem carcere liberatus, mox diem suum obierit.

Reuerendissimus quoq; Episcopus Ansloënsis Andreas eo compulsus est, ut alteri suum episcopatum cederet: quod si facere recusaret, submersionem illi minabatur.

Reuerendissimum quoq; archiepiscopum Nidrosiensem ab ecclesia sua archiepiscopali in exilium expulit, qui postea Romam ad Papam confugiens, ibidem in magna inopia & miseria mortuus est.

Nobilitati quoq; eius regni nequaquam pepercit.

Stre-



Strenuum enim & præstantissimum equitem auctum, Canutum Canuti, fido & mentito quodam prætextu, in carcerem redegit. cumq; ille in ius prouocaret, & causa in senatu regni cognita & disceptata absolutus esset: tamen iure suo à Deo & æquitate sibi concessa, uti non potuit, cum paulò post miserrimè decollaretur, & omnia eius bona, contra omne ius, à rege abriperentur.

Etiam si verò multò plura ipsius impia & tyrannica facinora, imprimis cum honestis matronis & virginibus, viduis & orphanis, passim in Dania, Suecia, Nordwegia perpetrata, indicare possemus: tamen illa ipsa, respectu nominis & dignitatis regie habito, hoc quidem tempore, in nostra hæc querela commemorare non volumus.

Semper equidem speraueramus futurum ut crebris, fidelibus & submissis admonitionibus adductus, sese emendaret, & ab huiusmodi minimè regijs aut Christianis, sed potius tyrannicis incēptis, facinoribus, expilationibus, uectigalibus, exactionibus, alijsq; crudelibus suis institutis desisteret: sed tamen admonitiones hæ nostræ planè infructuosæ aures regias personuerunt: nostræ sententiæ & consilia planè sunt repudiata, nulli ex senatu regni locus apud regem fuit relictus. imò homines planè contempti & ad nullam rem idonei



habiti & reputati sumus. Atq; ita ille in priore  
sua tyrannide seipsum induravit.

Et ut omnino crudeli suo erga nos animo &  
voluntati satisficeret, milites peregrinos magno  
numero, tam pedites quam equites, contra presti-  
tum iuramentum, quod ex superioribus articulis  
patet, in regnum induxit, & maioribus adhuc  
quam ante hoc factum est, oneribus & exactioni-  
bus nos gravare instituit. Cum autem id non in-  
iuria nobis graue esset, hoc tentatum est, ut nos una  
cum miseris rusticis, (qui tamen ipsi tempore belli  
septennalis penè omnem substantiam nostram im-  
penderamus) ui ad illas præstandas adigeret.  
Quocirca missis literis tanquam ad iuridicam  
Arhusium nos euocauit, eo consilio, ut nos ui mili-  
tis externi (si modo is ad tam impium facinus à re-  
ge perduci potuisset) adoriretur, & pro libitu suo  
imperata facere cogeret. Compertum etiam no-  
bis est, Regem, ad diem præstitutam, duorum im-  
manium carnificum, more suorum satellitum (ne  
scilicet innotesceret) vestitorum, operam con-  
duxisse, in eum finem, si intolerabilibus ipsius edi-  
ctis & voluntati non assentiremus, ut tum in cor-  
poribus & fortunas nostras impetum faceret, & fortè  
non aliud, quam in Succia, Dynastis, Episcopis, Præ-  
latis, Nobilitati & ciuitatibus factum est, conui-  
uere nobis adornaret.

Quo-



Quapropter iustissimo (qui etiam in fortissimos viros cadere potest) metu compulsi sumus, ut de tantis malis à nobis auertendis cogitationem aliquam susciperemus, atq; ita nostra corpora, vitam, & possessiones (quod iure naturæ facere tenemur) defenderemus. Compulsi igitur sumus, ut nostra iuramenta, homagia & auxilia militaria per literas illi renunciaremus, id quod etiam reipsa à nobis iam factum est, cum plane consideremus, neminem fore, qui impijs & tyrannicis ipsius delictis consideratis, vitio hoc vertere nobis posset. Nos enim status & consiliarios regni Danici, coram Deo & hominibus obligatos agnoscimus, ut communi patriæ, in extremis hisce periculis & angustijs, consolationem aliquam asseramus. Siquidem miserorum eius regni inquilinorum, æterna, ratiõ corporum & bonorum, pernicies, matronarumq; & virginum dedecus & contumelia, potissimum ab eo queritur, à quo illa omnia merito auerti à nobis debebant.

Neq; ignotum est, propter similia, aut sæpe etiam leuiora quàm nos (proh dolor) perpeffi sumus facinora Tyrannica, sæpenumero Cæsares Romanos, Reges Vngariæ, Bohemiæ, Galliæ, Angliæ & Scotiæ, ex suis imperijs & regnis deiectos, multos principes ex ditionibus suis hereditarijs expulsos esse, sicuti id tam ex veteribus histo-



rijs, quàm ex nostræ ætatis exemplis satis certè  
nobis innotuit. Et nisi grauißimis hisce, quæ ha-  
tenus commemorauimus, oneribus impelleremur,  
pigeret & tæderet nos, talem aliquam cogitatio-  
nem in nostrum animum inducere, multò minus  
reipsa eam exequi, sed potius sicuti patri & auo  
ipsius, ita ipsi quoq; libenter addicti fuissetus.

Etiam si verò ab electione externi alicuius &  
Christiani regis aut Domini, cuius potentia & de-  
fensione regnum nostrum gubernaretur, non planè  
fuimus alieni: tamen considerato diuturno &  
Christiano regimine, regijs virtutibus, clementia,  
bonitate & iusticia, quibus Illustriss. princeps &  
Dominus, D. Fridericus, verus heres Norwe-  
giæ, Dux Sleswici, Holsatiæ, Stormariæ & Diet-  
marsis, comes Oldenburgi & Delmenhorsti, erga  
subditos suos statim à gubernationis suæ exordio  
piè & laudabiliter usus est: eum potissimum una-  
nimi consensu regem & Dominum nostrum supra  
totam Daniæ elegimus, cum nimirum cogitare-  
mus, eum ex inclyta regum Daniæ prosapia origi-  
nem docere, & præterea regis filium natum esse,  
atq; ita iure præ omnibus alijs principibus hunc  
honorem ipsi, præsertim cum patrimonium quoq;  
ex regno paterno suæ Cels. debitum, ne nunc qui-  
dem accepisset, deberi.

Rogamus igitur unumquemq; , cuiuscunque  
conditionis aut ordinis sit, si fortè supra dictus  
Rex



Rex Christiernus, aut alius quispian nomine ipsi-  
us, vel scriptis vel alio modo, nos insimulet, quod  
contra datam fidem & iuramenta hac in parte  
egerimus: ut illi, antequam ulteriorem no-  
stram defensionem audiat, fidem non ha-  
beat, sed potius nostras hasce difficultates,  
corporis & vite pericula, impias viduarum &  
& pupillarum oppressiones, matronarum & vir-  
ginum violationes, cum clementi, Christiana, be-  
neuola & humana commiseratione cognoscat, &  
nos (qui honorem & existimationem nostram, ut  
pios nobiles decet, erga regem illasam adhuc con-  
seruauimus) excusatos habeat. simulq; alijs quo-  
que omnibus & singulis, ob causas iam supra di-  
ctas, & alias complures (quas adhuc in honorem  
nominis regij usq; ad ultiores nostras apologias  
reticemus) benigne nos excuset. Si etiam rex co-  
ram legitimo aliquo iudice nos accusandos esse  
censuerit, hoc ipso nos ad legitimam & iustam  
causae huius cognitionem & decisionem offerri-  
mus; pollicemur etiam nos ijs, quae hoc modo iure  
decernentur & sancientur, prompto animo pari-  
turos esse. Neq; dubitamus, si vel sanctitas pon-  
tificia, vel Rom. Caesarea Maestas, & Iudicium  
Camerae, vel alij quoq; Christiani Reges, Electores,  
principes, comites, Barones & nobiles, vel in-  
clite & liberae Imperij ciuitates petitionis  
huius nostrae equitatem, & ipsius impiam  
& Ty-



¶ Tyrannicam nostri oppressiorem cognouerint, quin factum hoc nostrum, ad quod extrema necessitas nos compulit, nequaquam sint improbaturi. Pro quo ipso singulis, pro ratione ordinis & conditionis sue nostra studia, officia, & gratitudinem omni tempore praestandam, deservimus & pollicemur.

Georgius à Schorburg archiepiscopus Lundensis, cuius hoc scriptum meminit, Coloniae postea apud Ioannem Rincum patritium aliquot annos vixit. tandem Hermannii de VVeda archiepisc. suffraganeus fuit, & senex A. C. 1551. exeunte decessit.

SECUNDA PARS  
CHRONICI.

Fol. 5. vers. 23. insulae GOTLANDIAE accuratior Chorographia inserta, his verbis.

GOTLANDIA verò, maris Balthici insula octodecim circiter milliaria, à meridie in septentrionem porrecta: inaequali latitudine, ab occasu in ortum, vbi maxima est, sex milliaria continet: admodum verò angusta circa extremitates. quarum Austrina, HOBVRG promontorium, nautis notissimum, habet. borea, insulam Forum, quæ à vicino

...is. et decembris  
...celentia vniuersa uniuersum...





à vicino Ostgothiæ continente decem forte milliaribus abest. Acropolis VVISBURG, in medio insulæ versus occasum sita est. Distat à vicino Sueciæ seu Ostgothiæ littore 24. à Curlandiæ littore 20. à Dantisco 30. à Bornholm 50. à Restochio 80. Hæc insula, cum varijs Dominorum vicibus iactata proximo seculo fuisset: tandem in Danorum potestatem tota hoc anno, vt nunc exponam, redijt.

Cum enim Sueci suo regno eam vendicarent, & Lincopensis Episcopi ecclesiasticæ iurisdictioni antiquitus subiecta fuisset: adfirmant Dani, à VValdemaro III. Daniæ rege, insulam & emporium VVisburg, ab illo vastatum, coronæ Danicæ subiectum, & aliquot annis post, Albertum Sueciæ regem, consensu Senatus regni Suecici, perpetuo & hæreditario iure possidendas, VValdemaro & successoribus, Götlandiam & alias provincias, solennibus literis A. C. 1366. datis celsisse. & quinquennio ante, VValdemarum, priuilegia VVisburgensibus, vt subditis fidelibus, confirmasse. Sueci verò, primùm alienari à regno Sueciæ Götlandiam per Albertum regem, hac occasione cœpisse memorant, quod bellum aduersus Margaritam Daniæ reginam, & proceres Suecos ad eam profugos moturus, Magistri ordinis Crügeri Boruf-



Borussiaco eam oppignoravit. Capto autem Alberto, fratres Vitalianos, receptum ac portus in ducatu Megapolitano tutos, à captivi regis agnatis adeptos, ut Daniæ oras maritimas passim deprædabantur, sic Gottlandiã totam occupasse. Sed liberato tandem Alberto, & piratis dilapsis, Crucigeros instructa classe Gottlandiã recepisse. Sub Erico postea rege, varias rationes illius insulæ ex potestate Crucigerorum vindicandæ frustra susceptas, & tandem à Suecorum ducibus, Algotho Magni & Abrahamo Erici arcem & civitatem V Visboensem obsessam, sed ex inopinato obruentibus eos Borussis iterum amissam esse. Tandem verò, amica transactione, Borussos, receptis decem millibus Nobilium, qui imposito per vniuersum Sueciæ regnum singulis ædificiorum conclauibus tributo, confecti sint, Gotlandiam Suecis restituisse.

*Fol. 20. ver. 5.* In Liuonia, Rigensis archiep. Ioannes Blankefeld, Berolini in Marchia natus, & multos annos Francofordiæ ad Viadrum professor, iurisconsultus celebris, & in Pontificis ac præcipuorum Germaniæ principum aulis notus, & Reualiensis ac Derbatensis, in Liuonia, episcopus: Casparo defun-



95.  
defuncto succedit. & à ciuitate Rigensi,  
missis in urbem internuncijs, & confirma-  
tione priuilegiorum generali, Iuramentum  
subiectionis debitum exigit. Cùm autem  
religionis emendatæ, qualem ciuitas expe-  
tebat, mentionem in specie nullam faceret,  
ac insuper duo templa & *παροικίας* ciuitatis,  
sibi suisq; reddi flagitaret, re infecta, illi di-  
missi sunt. Paulò post Kakenhusiam, arch.  
Rigensis arcem & oppidum ingressus, con-  
tra fidem ciuibus datam, pastorem Bernhar-  
dum Bruggemannum, & collegam illius  
Paulum Bloshagium, & scholæ modera-  
torem Gisebertum Schoßlerum, Idola Pon-  
tificia improbantes, oppido pellit, & non  
ditione modò sua, sed & vrbe Riga nondum  
ei subiecta, ijs interdicit, Lemsalie postea mi-  
nistro ecclesiæ pio, ac erudito, eiecto, no-  
bilitatem diœcesis omnem iuramento sibi  
astringit. Hinc ad Rigensem ciuitatem lega-  
tos iuramentum fidelitatis & subiectionis  
debitum flagitantes, denuò mittit. Quæ  
simpliciter responderet, nisi de religione &  
doctrina Euangelij instaurata, quam priui-  
legium & ornamentum ciuitatis præcipuum  
& summum censeant, & de templis omni-  
ibus, rectè sibi cautum sit: non  
posse



posse se iusiurandum, quod flagitet dare.  
Cum enim videant archiepiscopum omnes  
ingenij ac potentiae suae neruos, ad extirpan-  
dam funditus sinceriores religionem, quam  
ipsi vel cum vitae periculo retinendam du-  
cant, intendere: parum se de Archiepiscopi  
gratia, amore, & fide sibi posse polliceri,  
aut concordiam sperare. Quod si in fidem  
eius concesserint, perpetuas animorum di-  
stractions, inimicitias, bella, & clades, atq;  
adeo interitum animae & corporis, bonorum  
& fortunatum omnium suarum, totiusq; vr-  
bis exitium secuturum se praeuidere. cui oc-  
casionem praebere, inconsiderata iuramenti  
praestatione non decreuerint.

Sic grauius etiam exacerbato archiepi-  
scopo, ciuitas Rigensis, à Magistro ordinis,  
VValtero Plettenbergio, auxilium & defen-  
sionem contra archiepiscopos petit, eumq;  
solum Dominum se agnituram esse profite-  
tur: (antea enim Rigenses Archiepiscopo  
& Magistro ordinis ex aequo iuramentum  
fidelitatis praestare, & prouocationes à sen-  
tentijs senatus ad utrumque pariter fieri so-  
lebant.) Is receptis in tutelam Rigensibus,  
initio sequentis anni, urbem illustri & solen-  
ni pompa de nouo ingreditur. Qua occa-  
sione primum reformatae religionis liberae  
in tota vrbe exercendae priuilegium, ab hoc  
Liuo-



Liunionæ magistro, illiusq; deinceps succes-  
soribus, impetrarunt.

Canonici verò Rigenses, beneuolentiam  
& fidem suam erga ciuitatem Rigensem mul-  
tis verbis prædicantes, cum partem vrbis,  
quam tenebant, se suo sumptu munire velle,  
& omnia summa polliciti essent: paulatim,  
præmissis omnibus suis, ex vrbe discedunt,  
& machinas ac tormenta ex turribus ac mœ-  
nibus detracta clam subducere conantur.  
Quâ eorum perfidiâ animaduersa, Senatûs  
omnes eorum domos, molendina, agros, &  
fundos vrbi vicinos occupat, & suis ciuibus  
colendos distribuit, & partem illam vrbis,  
aggeribus & vallis cinctam firmissimè mû-  
nit, concessa tamen Canonicis libera urbem  
ingrediendi, & hospitio ciuium vtendi,  
cumque illis commertia exercendi facul-  
tate.

Grauiissimè autem exacerbatus his Rigen-  
sium actionibus Archiepiscopus, & cum Ma-  
gistro ordinis, cuius patrocinio illi niteban-  
tur, similtates & odium immane exercens;  
cum Moschis consilia communicare aduer-  
sus Liunionæ Magistrû, in vulgo spargebatur.  
Itaq; vniuersa nobilitate, collegijs, & po-  
pulo aduersus eum inflammato: publica  
Liunionæ comitia VVolmarie instituta sunt,

G

in qui-



in quibus suam innocentiam omnibus ordi-  
nibus demonstrare archiepisc. conabatur.  
Sed tandem communi consensu res eò de-  
ducta est, vt deinceps Archiepiscopus cum  
omnibus suis suffraganeis episcopis, colle-  
gijs, iuribus, sessione, &c. Magistro ordi-  
nis, eiusq; successoribus se perpetuò subij-  
ceret. ac nihil deinceps, vel iure, vel armis,  
in scio Magistro, contra Rigenses se molitu-  
rum promitteret. Vt enim ob communica-  
ta cum Moscho aduersus Liunioniam consilia,  
præsentissimum vitæ & famæ periculum  
declinaret: conditiones omnes, ab ordini-  
bus propositas, se, vis ac metus causa, acce-  
pisse, apud suos ostendit.

Paulò post, ex Liunia discedens, iter  
in Germaniam & Hispaniam ad Cæsarem  
Carolus V. instituit, à quo restitutionem in  
integrum, aduersus magistri ordinis & ciui-  
tatis Rigensis iniurias, se impetraturum con-  
fidebat. Sed non longè à finibus progres-  
sus, morbo & mœrore animi Polotiæ extin-  
guitur. cum ante mortem, consilium & man-  
data canonicis & consiliarijs suis dedisset, vt  
à Cæsare, velut summo imperij capite, & e-  
pisc. tutore, precibus indefessis, imperij prin-  
cipem ac nominatim Georgium Ducem  
Brunsvic, & Lunæb. præpositum Colon. si-  
bi



bi substitui; Balthasarum verò VValdkirch,  
Cæsaris Vicecancellarium, Derbatensi Diœ-  
cesi præfici, impetrarent. Horum enim au-  
toritate, pristinas Archiepiscopi & collegio-  
rum dignitates, iura, sessiones, & priuilegia  
recuperari posse sperabat. Etsi autem faci-  
lem se Cæsar. M. præbuit, & diligentissi-  
mè per literas apud vtriusq; diœceseos col-  
legas negotium vrsit: & iam Georgius Dux  
Brunsuic. nomine collegij Rigensis postula-  
tus erat: Quem à fratre Henrico Duce  
Brunsuicensi, cuius acer & magnus animus,  
& fortitudo Bellica, Hildesiensi ditione re-  
cens occupatâ, inclaruerat, adiutum iri ne-  
cessarijs copijs sperabat: quarum auxilio  
restituere collegium in urbem Rigam, & ar-  
chiepiscopi iurisdictionem recuperare pos-  
set: tamen, cum longissimè à Liuonia Cæ-  
sar abesset, & in Liuonia principem Romani  
Imperij, & peregrinum eligere, res, planè  
nouï & inusitati exempli, maiores & grauio-  
res motus partitura videretur; VValterus à  
Plettenberg, Liuoniæ princeps, cum ducem  
Brunsuic. postulatam cognouisset: diligen-  
ter & sedulò cum canonicis egit, ne peregrini-  
num principem, sed ex suo corpore aliquem  
eligant, qui Georgium placet: promittens se  
coacturum Rigenses, vt in integrum Cano-  
nicos pulsos restituant.



1527.  
8. Sept.

Thomam igitur Schoningium, consulis Ri-  
gensis filium, collegij Decanum, Canonici  
eligunt, qui in Germaniam statim profectus  
cum Brunswicense transigit, & cessionem  
impetrat:

*Fol. 163. versu 1.* Cum enim Thomas, (quem  
Ioanni Blankenfeldo successisse, & hortatu  
magistri ordinis VValteri à Plettenberg, cum  
Georgio Brunswicensi, antea postulato, tran-  
segisse diximus) Lubecam reuersus, fa-  
ctam à Georgio cessionem magistro ordinis  
per literas significaret, & promissam restitu-  
tionem vrgeret: ac ille, qui solus in Livo-  
nia dominabatur, surdis auribus postulata  
ipsius præteriret: archiepiscopus se delu-  
sum animaduertens, apud Camerae iudicium

1529.

1530.

& in comitijs Spirensibus & Augustanis, à  
Ferdinando & Carolo mandata de archiepi-  
scopo in urbem recipiendo, & in integrum  
restituendo impetrat. Deinde, ad Borussiae  
Ducem Albertum profectus, communicatis  
cum eo consilijs, fratrem Ducis VVilhelmum,  
marchionem Brandenburgicum, Canonicum  
Moguntinum & Coloniensem, coadiutorem  
eligit, sperans tanti principis & gentilium  
illius autoritate, potentia, & auxilijs, se pri-  
stinas dignitates, iura, & priuilegia, quæ  
Magistro ordinis, antecessor Blankenfeldius  
cesse-



101  
cesserat, recuperaturum esse. Cùm autem  
mandata Cæsaris ac Imperij, quibus Rigen-  
ses, Archiepiscopum Dominum agnoscere,  
Bona ecclesiastica & alia, episcopo & Ca-  
nonicis ablata, restituere, & omnibus aboli-  
tis nouitatibus, catholicam religionem & ri-  
tus recipere iubentur; die 6. Iunij, per Ar-  
chiepiscopi consiliarios exhibita essent. &  
rumor, de VVilelmo, inscijs ordinibus,  
coadiutore electo, increbuisse: pleriq; Li-  
uoniæ proceres, & in his, Derbatensis præ-  
cipuè Episcopus, cùm finem horum malo-  
rum nullum, nisi causa eorundem remota  
cernerent: intercedunt apud VValterum or-  
dinis Magistrum, virum sapientem, & pu-  
blicæ tranquillitatis & ocij amantem, vt in-  
dictis Liuoniæ totius comitijs publicis, Iu-  
ramentum nouum Archiepiscopo Blanke-  
feldo cæterisq; episcopis & Canonicis quin-  
ouennio ante extortum, sponte remittat. &  
sessionem archiepiscopo, iura & priuilegia  
antiqua, ciuitatisq; Rigensis iurisdictionem  
& dominium restituat. Legati etiam in his  
comitijs ad Albertum Borussiae Ducem, de  
abolenda fratris postulatione, decernuntur.

His comitorum decretis & actis Rigen-  
ses quoque moti, cum archiepiscopo nouo  
Kacenhufij transigunt, & Bona ecclesiastica



omnia, mobilia & immobilia, intra & extra  
ciuitatem, superiorum temporum iniurijs  
occupata restituunt. Verum de Dominio  
templorum in vrbe, ac iurisdictione eccle-  
siastica, de compensatione damnorum &  
expensarum, &c. in aliud commodius agen-  
di tempus ab archiepiscopo definiendum  
differtur, ita tamen, vt nisi de his amice con-  
ueniat, Decretum Cæsareum & terminus in  
eo præfixus Nonaginta dierum ad compa-  
rendum in Camerae iudicio, nihilominus  
valeret.

Indictio igitur Dalemi, tribus supra vr-  
bem milliaribus, nouo conuentu, Rigenses,  
iuramentum subiectionis se Archiepiscopo  
vt politico Magistratui supremo præstitu-  
ros recipiunt. Verum in Religione & eccle-  
sijs suis, ad amussim verbi diuini constitutis,  
se conscientiae ratione, quæ solo Dei verbo  
regi debeat, nullam mutationem admittere,  
nec vllam ecclesiasticam illius iurisdictionem  
agnoscere ostendunt. Cum autem Ar-  
chiepiscopus, Iurisdictiones, quas coniu-  
ctas in vrbe hætenus habuisset, separari nol-  
let, & in eo perstaret; tandem intercessione  
quorundam procerum, induciæ biennij, qui-  
bus de referuatis articulis transigeretur, ea-  
dem qua prius conditione sancitæ sunt.

Inter-



Interfuit huic Dalemensi actioni, Iohannes Brismannus, Theologiae Doctor, ex Regiomontana ecclesia, assentiente Alberto Borussiae Duce accersitus, ut consilio Rigenses in hac religionis causa iuaret, & ecclesiam dissidijs quorundam docentium turbatam, ad piam tranquillitatem reuocaret.

Interea VVilhelmus, adiutor archiepiscopo Rigensi adiunctus, coniuente ordinis magistro iam sene, in Liuoniam venit. & praefecturas aliquot dioecesis, sibi ab archiepiscopo Thoma attributas, occupat. Bienio autem induciarum magna ex parte elapso: Archiepiscopus nouus, cum reliquis Liuoniae ordinibus se foedere, ad Kircholmensem transactionem, quae utriusque Liuoniae Magistratui summo, ciuitatem Rigensem ex aequo subiicit, integre illibateque seruandam adstringit. Postea inducijs iam exeuntibus Rigenses Kakenhusium denuo euocat. vbi, cum in prius data responsione illi persisterent; archiepiscopus vero, non posse se contra conscientiam, & fidem summis Christiani orbis capitibus datam, de iure quidquam cedere, affirmaret; Dalem tandem postrema actio instituta est, in cuius exitu, Rigenses, Pacem, in Imperio Romano, religionis nomine factam referunt,

1532.

4. Martij.

Mense Augusto.

Mense Octobri.



et seuerè à Cæs. M. interdictum esse, ne quis alteri religionis nomine molestiam exhibeat, sed vt singulis in præsentis religionis statu tranquillè vsque ad concilium generale, vel conuentum imperij proximum, manere liceat. Processus etiam in Camera omnes, Religionis nomine institutos, eadem pacificatione suspendi & tolli. Itaque præsens etiam mandatum, ab Archiepiscopo impetratum, iam expirasse & abolitum esse.

Etsi autem Archiepisc. longius deliberandi spacium illis concedebat: tamen paulo post, Ordinis Magistrum de fœdere VVolmaria inuito admonitum, & auxilium illius contra Rigenses imploratum esse resciscunt Rigenses. & interposita solenni protestatione, omnes Canonicorum domos, episcopi palatium, totamque eam vrbis partem, quam Canonici tenuerunt, & quos extra urbem agros, prædia, molendina & alia bona ecclesiastica, paulò antè episcopo & collegio, mandante Cæsare, restituta, rursus occupant, & urbem muniunt, & facti sui rationem, missa ad Archiepisc. solenni protestatione, reddunt. Archiepisc. verò ad iudicium Camerae causam deferente, Rigenses per aduocatum Iohannem Helfmannum, pace Religionis in Imperio Noribergæ conclusa



clusa, & anno exeunte, in confessu Iudicum **4. Decem.**  
 Camerae publicata, se tuentur, donec tan-  
 dem, Archiepiscopo & Canonicis perpetuo  
 instantibus, & se spoliatos ante omnia resti-  
 tui urgentibus, Rigenses foederi principum  
 Germanicorum, quod Euangelij titulo inter  
 se Smalcaldiae inierant, adiunxerunt. atq;  
 ita archiepiscopi sui minas & iudicij Came-  
 rae mandata declinant. Thomas igitur vr-  
 be Riga exclusus, tandem rebus humanis  
 exemptus est.

1539.  
 10. August.

*Folio 404. in fine anni 1546. inserenda.*

In Dania, Christiernus I I. Daniae olim rex,  
 nunc quatuordecim annos in arce Sunder-  
 burg, insulae Elysiæ, (Alsæ vulgò) capti-  
 uus; cum à Carolo V. Cæsare, cuius foro-  
 rem in matrimonio habuerat, se desertum  
 (Carolus enim paulò ante in comitijs Spiræ  
 cum Christiano III. Daniae Rege pacem per-  
 petuam, nulla mentione Christierni factâ,  
 inierat) cerneret; vt in laxiore custodia com-  
 modius deinceps haberetur, omne ius suum,  
 quod in tribus regnis, à se desertis, ante re-  
 nuerat, sponte patrueli suo Christiano III. **14. Julij.**  
 regi electo & coronato, integrum cedit. In  
 ducatu etiam Sleswicensi & Holsatiæ, omni  
 quod habuit aut habere possit iuri, pro se &  
 hæredibus renunciat. Idq; eidem Christia-

G 5 no &





no & Ioanni & Adolpho patruelibus tradita,  
ac, ut alimenta necessaria non desint, redi-  
tibus præfecturæ & arcis Callenburg, & in-  
sulæ Samsö & Sebirgarden, deinceps utetur  
fruetur, ijsq; contentus erit. & intra fines il-  
lius præfecturæ in Selandia perpetuò se  
continebit, & venandi & piscandi faculta-  
tem habebit, ita tamen, ut præfectus, regis  
Christiani nomine, arcem tueatur, & præ-  
fecturam totam administret. Filias suas.  
Palatino Friderico & Lotharigo nuptas,  
nullum ius hæreditarium in Regnis, quæ  
libera electione conferantur: vel ducatus,  
quæ feuda mascula sint, habere pronunciat.  
petit autem, ut singulis dos & parapherna-  
lia, ex regnis & ducatus, qualia soror  
ipfius Elisabet, helectori Brandeb. Ioachimo  
nupta, acceperit; & præterea monile decem  
millium aureorum precio tribuatur. Idq; ut  
ratum habeant Filia, se annexurum polli-  
cetur.

*Fol. 433. in fine anni 1547, addita est narratio  
De Petri Aloisij cæde Placentiæ.*

In LONGOBARDIA, Ferdinandus Con-  
zaga, Mediolani Gubernator, Placentinam  
urbem, circa Idus Sept. interfecto principe  
illius, Petro Ludouico Farnesio, Pauli III.  
pontificis filio, sibi traditam munit. Quæ  
historia,



1107  
historia, etsi à rebus Saxonis aliena est: tamen cum insigne iudicij diuini, & pœnarum aduersus scelera exemplum contineat, & in hos ipsos menses incidit, intexendam hoc loco duxi, sicut tum ex Italia, ad præceprorem & hospitem meum perlata est. Petrus Loisus Farnesius, filius Pauli III. pontificis, his proximis annis à patre factus erat Dux Placentiæ & Parmæ, quæ oppida non multò ante pertinuerunt ad ditionem Mediolanensem. Et quamuis nunc essent in ditione Papæ, tamen erant feuda Ducis Mediolanensis, id est Imperatoris. Propterea idem Loisus sæpius eorundem oppidorum feudum siue inuestituram ab Imperatore petijt, sed nunquam potuit impetrare. Imperator autem, alia ex causa, fecit eum Marchionem Nouariæ vrbs ducatus Mediolanensis. Pro isto beneficio hanc gratiam Imperatori retulit, vt ante nouem menses clam cum Galliæ rege Henrico II. contra Imperatorem conspiraret. Horatium filium suum matrimonio iunxit cum illegitima sorore huius regis Galliæ. Illi sorori suæ, vt rex ducatum Borboniensem in dotem daret, promisit se ei proditurum Genuam, & præterea veluti ex causa permutationis pro ducatu Borboniensi, Placentiam & Parmam daturum.

Genuæ



ais. et decumctis  
celestia uenura uicomu  
Genuæ propè rem ad exitum perduxerat,  
nisi DEVS hominis nefarij consilia impedi-  
uisset.

Subornauit hominem nobilem illic na-  
tum, Iohannem Ludouicum Fliscum, qui  
in sua familia olim habuerat Pontificem &  
Cardinales. Is vigesima die Februarij, cum  
classis Doreana Genuæ staret in portu, noctu  
cum suis coniuratis, omnes remiges de mo-  
re triremibus alligatos, subito soluit,  
vt eo beneficio eos sibi fidos satellites redde-  
ret, ac Iohannetinum Doream præfectum  
classis, arte ex cubiculo ad inspiciendam  
classem euocatum, dolo interficiendum cu-  
rat. Sed dum eodem impetu in urbem ad  
interficiendum Andream Doream, & ad vo-  
candum populum ad arma, pronunciata li-  
bertate, ire parat, cum de vna triremi in pro-  
ximam transiliret, Deo ita volente, in aquam  
prolapsus, suffocatus est. Ea de causa con-  
iurati amisso duce fluctuantes, tempus de-  
derunt Andreæ Doreæ prospiciendi sibi,  
retinendæq; vrbs in fide Imperatoris. Ille  
comprehensis coniuratis, ex illis dedit, Pe-  
trum Loisium extitisse huius proditiõnis au-  
torem.

Rem igitur sapientissime occultatam,  
cum vno Ferdinando Gonzaga Mantuani  
ducis



ducis fratre, ducatus Mediolanensis gubernatore, communicat. Hic quia sciebat Loisium homines nobilissimos Placentinos viros fortes in carcere habere, quos breui securi feriret, eorum propinquos clam ad interficiendum Petrum Loisium, antea quam eorum cognatos necaret, incitauit, & reliqua consilia rei gerendæ & exequendæ cum illis instruxit.

Illi verò homines haudquaquam segnes aut ignaui, prandium Placentiæ apparant, ad illud intimos Loisij amicos, qui circa illum esse solebant, vt ab illo abessent, ad suos vocant. Deinde breuibus bombardulis aut sclopetis & gladijs instructi, ad Loisium (sicut aliàs solebant) veluti salutandum, & reliquos eius amicos, si qui apud eum restiterant, adducendos ad prandium, in arcem eunt, ac officia inter se tripartito diuidunt: vt vna videlicet eorum pars, in porta arcis cum Germanis custodibus corporis, quàm familiarissimum colloquium instituat: altera, quorum principes fuerunt comes Landesius Placentinus, & princeps Sulmonensis natione Flamingus, sursum ad Loisium salutandum interficiendumque ascendat, vtque ex illa parte vnus complosa bombardula, reliquis signum rei aggrediendæ daret:



darer: tertia pars, vt in area arcis subsistat,  
alteris duabus partibus, vbi necesse fuisset,  
auxilium latura.

Ad illud signum, à secunda parte cum  
oportunum visum esset, datum, colloquens  
pars cum Germanis ad portam arcis (quia  
illi tanquam in altissima pace, nihil mali su-  
spicati, Helbardachas plerique ad murum  
seposuerant) eos subito cum gladijs & bom-  
bardulis aggressa, trucidauit sex numero,  
quorum vnus correpta Helbardacha (for-  
tasse cogitans oportere alias mori) fortissi-  
meque se defendens, & alios Italos vulne-  
rauit, & vni nobili Placentino ceruicem ma-  
gna ex parte præcidit, ita vt inde morere-  
tur, ipse ictu bombardulæ necatus est. Ad  
idem quoque signum, eadem pars coniura-  
torum pontem pensilem arcis sustulit, ne  
Loisio ex vrbe auxilium ferri posset. Ad il-  
lud item signum, secunda pars ipsum Loi-  
sium aggressa opportunissimè absentibus ma-  
gna ex parte familiaribus, implorantemque  
misericordiam comitis Landesij, hoc dato  
responso, eum fuisse immisericordem in  
nobiles Placentinos, quorum alios securi  
percuisset, alios breui percussurus esset,  
multis ictibus trucidat.

Hoc



Hoc tumulto ab oppidanis animadu-  
er-  
to, coeprum est in vrbe clamari; Ecclesia,  
ecclesia: timebant enim, ne si Loisio auxili-  
um non tulissent, ab eo crudeliter tracta-  
rentur. Sed praecipitato ex arce a percus-  
soribus in fossam cadauere Loisij, plebs eo  
conspecto vociferari desijt, & coniurati pau-  
lo post intromissis in urbem ad hoc ipsum  
subornatis copijs Gonzagæ (cuius etiam an-  
te milites multi clam in vrbe erant) Impe-  
rium clamando, populus vt in verba Im-  
peratoris iuret, faciunt.

Pueri super Loisium, iacentem in  
fossa, tantum lapidum congesserunt, vt  
mensuram trium plaustrorum impleuerint,  
declarando hoc modo odium in illum.  
Deinde ex fossa productum, homines  
plebeij ita passim traxerunt, vulnerarunt,  
iactauerunt, conquassarunt, vt nul-  
lus canis solet. Postea sepultum a  
Gonzaga, effoderunt homines illi de  
plebe, ac contumeliosius etiam tracta-  
tum, quam antea, extra urbem nudum,  
praecisis virilibus, quibus tam multa ne-  
fanda atrocitæque patrauerat, deuorandum  
volucris & quadrupedibus abiecerunt.

Sed



Sed corpus tam incestis libidinibus, tanta impietate, rapacitate, immani crudelitate, contaminatum, nulla bestia attingere dignata est. Octavius dux Castri oppidi, filius eius, qui interea Parmam accesserat, cum comperisset patrem insepultum esse abiectum (plures enim dies illic iacuit) sexaginta millia coronatorum Landesio, & filio eius pilcum cardinalium obtulit, si sibi patrem ad sepeliendum reddidisset: quod, an factum sit, ignoratur. GONZAGA in arce Placentina ingentem vim frumenti, & quadringentas egregias bombardas, & aliquot tinas auri, & argentum factum omnis generis, sexaginta millibus coronatorum valens (maiores enim partem thesauri Papæ, tanquam in locum tutum, eò congesserat) invenit.

Hac cæde Loisij, occupandaque Placentia, Gonzaga optimè meritis est de Imperatore, & de vniuersa prouincia Mediolanensi. Nam si Loisius, pro ducatu Borboniensi, Placentiam Parmamque Gallo tradidisset, habuisset Callus vrbes munitas in media Longobardia, veluti arces, vicinis prouincijs Imperatoris imminentes. Gonzaga tunc Parmam, tanquam appendicem Placentiæ, ab Octauiio petebat: ille dare negabat.

vterq;



Uterque exercitum habebat, alter Placentiæ, Parmæ alter. sed non pugnarunt, quia ambo responsum ab imperatore expectabant. Loisius necatus est circiter tertium Idus Septembris.

Hoc ipso anno, ante aliquot menses, ciuis Comensis, ob interfectum alium ciuem, in carcere erat, habens vxorem formosam & sui amantem. Ea, de vita mariti sollicita, cum Hispanum præfectum vrbi & arci Comensi, pro vita mariti sui deprecaretur, responsum accepit, in sua potestate esse, vtrum maritus carcere liberetur, nec ne. Hoc illa ad suam pudicitiam pertinere intelligens, venia præfecti cum marito in carcere collocuta est, vellet ne vitam suam omnibus alijs remedijs desperatis, pudicitia sua (quod tamen sibi acerbum futurum esset) Præfecto prostrata, redimi. Quia igitur maritus vitam nobilem & sibi caram esse, eoq; quouis pacto redimendam duxit; illa, expleta voluntate præfecti, vt iam è carcere dimitteretur maritus, rogauit. Præfectus, ducentis aureis coronatis insuper opus esse dixit: quos inter aduocatos & alios ministros iudicij distribuere. Bona matrona hos illico confectos illi misit, sperans fore,

H

vt



vt his datis maritum statim domi læta exci-  
peret. Præfectus accepta pecunia, illum  
quidem è carcere dimisit, sed continuo ca-  
pite truncauit. Ibi misera vxor conscin-  
dere capillitium, & vnguibus genas fœdare,  
aliaque signa extremi luctus edere; mœsta  
quidem etiam reliqua calamitate, sed præci-  
pue ob ereptam fraude pudicitiam. Id ali-  
quandiu nemini indicare voluit: postre-  
mò re matri indicata, ea indignatione pa-  
trem & propinquos accendit, vt & ipsi, &  
honestissimi quique, eius municipij homi-  
nes, mulierem cum literis grauissimarum  
querelarum plenis, Mediolanum ad Gon-  
zagam tetrarchiæ Mediolanensis governa-  
torum, mitterent. Is lectis literis Comen-  
sium, auditaq; muliere, Præfectum Comen-  
sem ad se euocauit. Venit ille comitatu  
duodecim equitum, lætus, veluti aliam ob  
rem accersitus. Gonzaga homini literas  
Comensium legendas dat: quibus legen-  
dis ille confusus, misericordiam Gon-  
zagæ implorat. Sed is accersitam mulie-  
rem (quam ob hoc ipsum in suo palatio di-  
verti iusserat) eadem, quæ sibi antea narra-  
set, audiente ipso Hispano præfecto, denuò  
narrare iussit. Deinde mulierem interroga-  
uit, quantum dotis ad maritum suum attu-  
lisset.



145.  
lisset. Illaq; respondente, octingentos aureos coronatos: hos illi, & præterea ducenos illos, quos ab ea dolo extorsisset, & sic in summa, mille coronatos, ut præfectus illi numeraret, mandavit. Imperavit præterea, ut eam (quia pudicitia dolo spoliasset, quo eandem illi restitueret) duceret uxorem. Sacrificulus igitur statim vocatus, eos matrimonio inter se iunxit. Sed Hispanus ille præfectus, cum existimaret se cum illa iturum in thalamum nuptialem, ad patibulum ductus, atque sine mora suspensus est. Hoc iudicium Gonzagæ, omnium sapientum & honestorum hominum admirationem in regionibus illis meritum est.

Fol. 447. in fine, H A V E Lburgensi ad Hauelum fl. Diœcesi, post Bussonem ab Aluesleben, mense Maio extinctum, Ioachimi II. Electoris Brandenburgensis rogatu vel mandato, filius Ioachimi, F R I D Ericus, à collegio electus, & paulò post, Ioanni Alberto, Magdeburgensi archiepiscopo, sobri- no suo, coadiutor adiunctus est.

Sequenti anno M. D. XLIX. Ecclesie in Saxonia, & passim alibi in Germa-  
H 2 mia,



nia, Confessionem Augustæ Imp. anno 1530. exhibitam hæctenus amplexæ, disputationibus de libro Interim, & mutationibus doctrinæ ac rituum alicubi secutis, magnopere turbatæ; & tristes ac plenæ scandali, de Adiaphoris, quorum nomen mutationibus illis prætexebatur, controuersiæ agitari cœptæ sunt, quæ totum decennium durarunt, quas consulo hîc omitto. Obijt huius anni mense Nouembri, anno ætatis 40. FRANCISCVS dux Lunæburgensis, Henrici iunioris ducis Lunæburgensis, & Margaritæ, Friderici & Iohannis electorum Saxonie sororis filius, qui vnâ cum auunculo Ioanne Saxone, & Ernesto fratre, Confessioni fidei Augustæ anno 1530. subscripserat. Huius FRANCISCI ex coniuge Clara, Magno Saxonie duce nata, filiam Claram, Bogislaus XI. Pomeraniæ dux in matrimonio habens, ducum Pomeraniæ familiam, aliquot ex ea susceptis filiis, nostra ætate propagauit.

Eodem mense, laudatissima Heroïna, Margarita, Nauarræorum regina, Francisci I. Gallie regis soror, pietate, virtute, & literis egregie exculta, cum superiore anno, vnicam filiam Ioannam, Antonio Burbonio



nio elocasset, pensum vitæ terrestri absoluit.

Michaël Hellingus, quem Sidonium vulgò nominabant, quod fictitius Sidonis episcopus, à PP. creatus esset, ab Imperatore Carolo V. in superioribus Comitibus, concionibus in summo templo Augustæ habendis, & libro Interim scribendo adhibitus, commendatione Imperatoris, ad Ecclesiæ Mersburgensis gubernationem postulatur, cum Augustus Saxoniae dux, superiore anno, paucis ante nuptias diebus, episcopam collegio resignasset. Verum introductio in mensem Decembrem anni sequentis dilata est.

Paulus III. PP. anno 86. pridie Martini, animam exhalans, in locum suum migravit.

FINIS LIBRI XVI. qui in nostra editione est XII. nam prolixiores quosdam primæ & secundæ partis libros, in plures, Lipsensis editio diduxit: cuius deinceps numeros librorum retinebimus. Sequitur igitur iam PARS  
TER-



TER TIA CHRONICI: LIBER  
XVII.

PRO O E M I V M verò METROPO-  
L I S, quod nostræ secundæ parti, in fine additum  
est; editioni Lipsensi, ad finem totius operis ad-  
iungitur, ubi est LIBER XXX. & ul-  
timus.

*FINIS* Appendicis Pri-  
mæ & Secundæ Partis  
Chronici in quo  
*editi.*









ais. et decumctis

celestina ueniret ia uirorum









MS. 82. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.














*Sunt Germani Versis, professoris  
Apostolici as Vic. Seculari in summo Colloq.*  
PRIMÆ ET SECVN-  
*Sono* DÆ PARTIS *ibby.*

# CHRONICI SAXONIÆ,

*Et vicini orbis Arctoi:*

*minore forma in*

*8<sup>uo</sup>. expressi,*

## APPENDIX:

Continens ea Omnia, quæ  
recenti postremæ edi-  
tioni, in folio, ac-

*Conventy cesserunt. Halberstad.  
ord. Praem.  
1710.*



L V B E C Æ

In officina Typographica Asweri  
Crögeri.

Anno M. D. XCIII.